



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

Per XXXVI. Casus Exhibens Materiam de Conscientiâ, Legibus, Peccatis,
Fide, Spe, Charitate, Jure & Justitiâ

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1752

VD18 13475452-001

Ex Tractatu De Jure, Et Justitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39804

tractum usurarium, nisi excuset extrema necessitas, de qua alibi.

17. Excusantur, qui ex gravi causâ, ad lucrandum v. g. panem juvant ædificare vel restaurare Synagogas Judæorum, vel templa hæreticorum; nam quamvis illa templa serviant ad malum finem, scilicet cultum falsum, tamen ædificatio ad illud se habet remotè.

E X

TRACTATU
DE JURE ET JUSTITIA,
CASUS XXI.

De Natura, & divisione juris,
ac justitiæ.

AMmon Princeps à Cambfore suo sub pensione annua suscepit pecuniam. 6. Solutionem vel differt, vel omnino negat, sub pratextu communis necessitatis, ibid. quam tamen postea in usus privatos, vel superfluos impendit, & quia Cambfor his offensus debitam Principi reverentiam negat, seque communibus civium oneribus subtrahit, Princeps in pœnam etiam prædia ei adimit, & in bonum commune convertit. 7. Tandem ut ab illius protestationibus liberetur, illum quamvis artis bellicæ ignarum cohorti militari præficit, ut primus in acie, primus pereat. 8. Pro resolutione.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit jus?

P 5

R. imò.

1. *R.* *primò* : Jus variè accipitur, aliquando per scientiam juris, sic qui novit leges, dicitur juris peritus, quandoque pro ipsis legibus, & sic dividitur in jus naturale, & positivum, in jus Canonicum & civile. Jus autem hic significat liberam & legitimam facultatem disponendi de re aliquâ, licet ab alio non impedibilem; dicitur primò legitima facultas, id est, facultas disponendi conformiter legibus justitiæ; nam contra leges de re aliquâ disponere non est juris, sed violentiæ, & injustitiæ; dicitur secundò ab alio non impedibilem, quia jus activum, de quo hic sermo est, fundat in aliis obligationem jus illud non impediendi, quod vocatur jus passivum, seu debitum præstandi vel omittendi alii quid, ut juri activo alterius satisfiat.
2. *R.* II. Jus præcipuè dividitur in jus in re, & ad rem; *jus in re* seu reale est, quo ipsam rem habeo mihi obligatam, ut eam apud quemcumque detentorem repetere possim; *jus ad rem* seu personale est, quo non res ipsa, sed persona aliqua mihi ex delicto, vel contractu obligata est, aut rem, aut pretium ejus tradere; *jus in re* fundat actionem realem, per quam ipsam rem repeto, & mihi vendico ubicunque eam reperire possim. *Jus ad rem* fundat actionem personalem contra personam ex contractu vel delicto obligatam, ut si vendas equum Titio, & hic non soluto pretio iterum vendat & tradat eum Sempronio, non habes amplius jus in re seu actionem realem repetendi ipsum equum, qui pleno jure transit in Sempronium; sed habes actionem personalem, non contra Sempronium, qui nec ex contractu nec ex delicto tibi est obligatus, sed contra

contra Titium, qui obligatur tibi pretium equi
exsolvere ex contractu emptionis.

3.
R. III. Jus aliud vocatur *jurisdictionis*, & est
potestas autoritativè disponendi de subditis in
eorum utilitatem, aliud *proprietas* seu domini;
estque potestas disponendi de re aliquâ tanquam
suâ; jus domini iterum aliud est perfectum, ali-
ud imperfectum; *perfectum* est facultas dispo-
nendi ad omnem usum sibi possibilem authorita-
te propriâ, vendendo, oppignorando, elocan-
do, donando &c. *dominium imperfectum* est fa-
cultas disponendi tantùm ad aliquos usus; Spe-
cies domini imperfecti sunt *ususfructus*, *usus*;
ususfructus est jus utendi simul & fruendi re ali-
enâ salvâ ejus substantiâ, ad usumfructum perti-
nent feudum, emphyteusis &c. *Usus* est facultas
tantùm utendi re alienâ v. g. habitandi in domo
absque eo, quòd eam alienare, vel fructûs elo-
cationis percipere possim.

QUÆR. II. Quid & quotuplex sit justitia?

4.
R. I. Justitia propriè dicta est *constans*, &
perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, ma-
gis theologicè est habitus inclinans ad ponendam
æqualitatem inter jus activum unius & passivum
alterius: æqualitas autem hæc consistit in eo,
quòd alicui tantum detur, quantum justè potest
exigi, estque objectum formale *quod* virtutis ju-
stitiæ; objectum autem formale *quo* seu motivum
justitiæ, est honestas hujus æqualitatis. Objec-
tum materiale proximum est actio per quam po-
nitur æqualitas v. g. numeratio pecuniæ; objec-
tum materiale remotum est ipsa res æqualiter de-
bita v. g. pecunia.

5.
R. II. Justitia præcipuè dividitur in legalem,
distributivam & commutativam. *Legalis* dicitur,
quæ

quæ ponit æqualitatem inter jus altum, quo tempore necessitatis in bona & labores civium habet reipublica, & jus passivum seu debitum legale, quòd habent subditi, ut tempore necessitatis subveniant reipublicæ; justitia *distributiva* est virtus ponens æqualitatem inter jus activum, quod habent subditi, ut recipiant bona & dignitates reipublicæ juxta proportionem meritorum, & debitum reipublicæ vel Principis, ut tribuat præmia vel officia dignioribus. Justitia commutativa ponit æqualitatem inter partem d. partem reipublicæ, seu inter privatum & privatum vel quasi privatum; dico: quasi privatum, quia etiam integræ communitates possunt inter se contractus per modum privatorum vel inter se, vel etiam cum uno ex subditis, & sic contrahentes obligabuntur ex justitia commutativa, nam sic contrahentes non exercent jus altum neque justitiam distributivam, ut patet. Ex his,

6. Ad Casum 2. Imò: Inter Principem suscipientem pecuniam, & Cambsores intercedit sola justitia commutativa, quia ineunt contractum censûs; omnis enim contractus fundatur in justitiâ commutativâ, contra quam peccat Princeps injustè differendo solutionem, cum onere compensandi omne lucrum cessans & omne damnum emergens cambsori.

2dò: Princeps potest, imò in communi necessitate tenetur à subditis subsidium exigere, servatâ tamen proportione ad cujuslibet facultates, ut dicetur suo loco; quòd si Cambsor nollet quotam suam contribuere, posset Princeps pensionem debitam pro rata huc impendere; & hoc faciendò exercet actum justitiæ tum legalis, tum commutativæ; nam Princeps quâ superior & caput

communitatis tenetur ex tacito pacto, & quâ pars vel membrum communitatis tenetur ex justitia seu debito legali procurare bonum commune eo modo, quo potest; e contra si Princeps illa subsidia non convertat in necessitatem communem, sed ad privatos, vel superfluos usus, peccat contra justitiam legalem, & commutativam, teneturque ad restitutionem non ob læsam justitiam legalem, sed ob læsum tacitum contractum de procurando bono communi.

3. Quamvis Campsor justè his offendatur, tamen obinde reverentiam debitam principi negando peccat contra charitatem, & honorem Principi debitum; subtrahendo se communi civium oneri peccat contra justitiam legalem, quare princeps ei salvo tamen moderamine prædia in Pœnâ justè adimit; Et adimendo exercet justitiam vindicativam, quæ juxta communiorem, est quarta species justitiæ, quatenus scilicet intendit æqualitatem inter pœnam & delictum, etsi simul intercurrent aliæ justitiæ, tum commutativa, quatenus ex officio, & quasi contractu tenetur malos punire, bonos premiare; tum legalis, quatenus ut pars reipublicæ tenetur ejus bonum procurare pro qualitate officii, putrida membra amputando, secando &c.

4. Princeps hominem ignarum artis bellicæ præficiens cohorti, peccat contra justitiam distributivam, quæ exigit talia munia imponi capacioribus; exponere autem aliquem primum in acie, in quâ videtur certè occidendus, per se loquendo principi licitum est, cum unus ex militibus debeat esse primus; dico per se, nam si hoc fiat ex privata vindicta, uti videtur hic fieri, est homicidium, si fiat ob commissum crimen ad vindictam publicam, est actus justitiæ vindicativæ.

CASUS

CASUS XXII.

De modis acquirendi rerum
dominium.

Bartholus quærit. 1. Quot modis res acquirantur. 2. Quid de animalibus mansuetis custodiam egressis. 3. Sylvestribus. 4. Apibus columbis. 5. Piscibus. 6. An venatio sit prohibita clericis. 7. An Princeps possit eam prohibere omnibus. 8. An tunc debeat stare pro damno per feras causato. 9. Quid de venantibus contra prohibitionem. 10. Quid si unus feram vulneravit. 11. Quid de gemmis & lapillis in littore, mari vel flumine. 12. Fodinis. 13. Sylvis, pascuis. 14. Rebus derelictis. 15. 16. 17. 18. Theauris. 19. Quid de accessione per nativitatem, alluvionem &c. 20. Per industriam. 21. Mixtionem, confusionem. Pro resolut.

I. QUÆR. I. Quot modis acquiri possit rerum temporalium dominium?

R. Variis I. Per contractum dominii translativum, v. g. donationem, emptionem, mutuum, &c. De quibus suo loco. 2. Per præscriptionem, de quâ Cas. seq. 3. Per inventionem, de quâ Cas. 45. n. 8. & inf. n. 17. 4. Per accessionem. 5. Per occupationem, de quibus in præsentibus. Est autem occupatio, rei vacantis vel derelictæ corporalis apprehensio cum animo eam habendi in suam. Res vacantes dicuntur, quæ nullum habuerunt Dominum: harum aliquæ sunt animatæ, ut feræ in sylvis, pisces in aquis, aves in aëre, quæ acquiruntur venatione & piscatione; aliæ sunt inanimatæ

animata, ut gemmae, lapilli in litore maris vel fluminum. Res derelicta vocantur, quae Dominum habuerunt, sed habere desierunt, ut missilia principum, thesauri dudum reconditi &c.

QUÆR. II. Quid circa occupationem animalium in genere? 2.

1. Sequentia 1. Animalia mansueta, & domestica, quae ex naturâ suâ non sylvescunt, ut bos, ovis, canis, gallina, etsi custodiam Domini sui longius egressa fuerint, non amittunt priorem Dominum, sed ubicunque reperta, vel etiam ab incendio, naufragio, vel lupo erepta, Domino sunt restituenda.

2. Animalia sylvestria, fera, vaga, fiunt primo occupantis, ut ursi, cervi, apri, lepores, cuniculi, aves &c. L. 1. ff. de acq. possess. Manentque sub ejus dominio, quamdiu in custodia coercentur, adeo ut omnis, qui illa quovis modo è custodia extrahit, furtum committat cum onere ea Domino restituendi; si verò è custodia emissa, vel profuga consuetudinem redeundi amiserint (quod tunc censetur fieri, si ter vel quater non redierunt, nec facile recipi possunt) tunc tanquam sylvestria & communia iterum à quovis occupari possunt; quod idem dicendum est de apibus, si extra conspectum Domini avolantes facile recipi non possunt §. apum instit. De rerum divis. item de columbis, si columbarium per aliquot dies deseruerint; quocirca tamen attendenda est locorum consuetudo. Difficultas hinc est, an liceat columbas meliori escâ propositâ, vel aliis artificiis ex alieno columbario allicere, ut consuetudinem redeundi amittant; suppono enim columbaria seclusâ lege specialiter prohibente esse licita, ut probat Molin. dis. 48. 1. Id per se non licere, praesertim si

si accedat fraus, ut si alliciantur proposito semina odorifero, vel aliis illecebris; nam quamvis animalia consuetudine redeundi amissâ fiant primò occupantis, quamdiu tamen consuetudinem illam retinent, non licet ea allicere ad consuetudinem deserendam, sicut non licet ea irritare, ut ruptâ custodiâ fugiant *Lugd. 6. n. 43.* Si tamen absit fraus, & columbæ suâ sponte ad alium redire desinant, & tuis ob meliorem escam commaneant, meritò te saltem ob communem consensum & consuetudinem excusant *Sylvius 2. 2. q. 66. a. 2. Less. c. 6. dub. 6. n. 28.*

5. 3. Si custodia ferarum magnæ sit vastitatis & magis constituta ex natura loci, quàm hominum industriâ, ut cervi in magnis saltibus, pisces in stagnis & lacubus, ita ut captura existat difficilis & dubia, adhuc retinent naturalem libertatem, idèoque fiunt primò occupantis *Covarruv. Molin. Laym. c. 3. t. 1. c. 5. n. 12.*

6. QUÆR. III. Quid circa venationem?

R. Sequentia I. Venari per se licitum est, prohibetur tamen clericis c. 1. & 2. de clerico venatore & in *Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* Et adhuc magis religiosus per Clem. I. §. porro. hæcque prohibitio non intelligitur de venatione quietâ, minimè tumultuosâ, cum retibus, laqueis & paucis canibus, sed de ea, quæ fit cum clamore, armorum, equorumque strepitu *Castrop. Laym. n. 15. Lug. n. 51. Sporr. t. 6. c. 1. n. 156. Metzger t. II. d. 27. a. 1. n. 6.* Imò clericum ex capite venationis secluso scandalo non facillè esse damnandum mortalis docet *Molina d. 44.* Et pœna suspensionis in clericos venatores per Concilium Aurelianense lata vel est usu abrogata, vel non arguit culpam gravem, cum tantùm sit ferendæ sententiæ.

2. Pos-

2. Possunt quidem Principes in locis publicis 7.

sibi venationem reservare, & aliis prohibere, etiam ob solam recreationem, quia Princeps pro bono publico laborat, ideoque dignum est, ut ei recreationes congruæ ex publico retribuuntur *Less. h. t. 4. de just. q. 6. a. 4.* Omnem tamen venationem in omnibus sui principatûs locis prohibere, nimis est durum, nec in jure, nec sufficienti ratione fundatum; nam ad illorum recreationem sufficit, quod quædam loca illis reserventur *Sylv. l. c.* tenenturque Princeps damna, quæ ferarum, ob prohibitionem multiplicatæ, vicinis agris vel pratis inferunt, resarcire, nisi Domini prædiorum ex contractu oneroso, vel gratis consenserint *Molin. d. 27.* Ubi explicat modum restituendi, & obligationem, quam confessarii principum habent negandi eis absolutionem, quamdiu efficax remedium adhibere nolunt; neque justa est prohibentium excusatio, quod forsitan permittant ferarum occisionem, quoties in alienos agros eruperint, quia non tantum tenentur hoc permittere, sed etiam operam dare, ne subditi ex ferarum multitudine damnum patiantur, *Covar. ad reg. peccatum p. 258. Sylvius a. 2.* Simili modo peccant & restituere tenentur, qui ad venandum egressi per suos famulos, equos, vel canes damna inferunt alienis segetibus, prædiis &c *Navar c. 17. n. 125. Angel. Sylvest. V. Venatio.*

3. Qui tempore indebito v. g. quando feræ sunt 9. prægnantes, aut in fundo alieno contra prohibitionem Principis venantur, feras, quas capiunt, suas faciunt, nisi locus sit circumseptus, quia manent communes; peccant tamen, sed plerumque tantum venialiter, nisi grave damnum inferant, segetes

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

segetes conculcando, sobolem ferarum extinguendo, vel abigendo, hâc enim ratione multum nocent, non autem quòd capiant aliquas feras magni valoris, cum illæ ante captum non spectent ad Dominum fundi, vel aliquem alium, sed sint nullius *Sylv. l. c.* transgressores justè puniri possunt, rarò tamen periculi corporali, vel capitali, nisi damnum illarum esset valde grave vel cum contumaciâ aut quasi contemptu continuatum.

10. 4. Fera lethaliter vulnerata ab uno ita, ut moraliter effugere non possit, non est capientis, sed ejus, qui vulneravit & insequitur, qui eam jam moraliter cepit, & ita habet præis; si vulnus non est lethale, aut percussor deposuit animum eam insequendi, fit capientis; si fera à duobus est vulnerata, dubitatur autem, an ex primo vulnere erat moritura, dividenda est; si tuo laqueo irretita certò evasisset, nisi alius tenuisset, tota est tenentis, in dubio iterum est dividenda; *Lugo, Sporer L. c.* Si fera capta in continenti effugiat, fit primo capientis, quia capiens nondum videtur habuisse stabile ejus dominium; si verò fuit aliquod tempus reclusa, & Dominus fugientem persequatur cum spe eam denuò apprehendendi, & tertius eam occidendo vel capiendo præveniat; fera non fit secundò capientis, sed retine priorum Dominum; sicut apes quando diu extra conspectum Domini non avolarunt ab alieno usucapi nequeunt.

11. QUÆR. IV. Qualiter per occupationem acquirantur res inanimatæ?

2. 1. Lapilli, gemmæ, uniones, conchillæ in mari vel flumine reperta sunt primò occupant

cupantis ff de rerum divis. §. lapilli, dico occupantis, non videntis, nam si unus gemmam primò videat, alter verò priùs apprehendat, erit apprehendentis, non autem videntis, idem est de insulâ in mari repertâ nunquam inhabitata vel dudum deserta.

2. Fodinæ lapidum, cretæ, arenæ, salis 12. carbonum, tanquàm pars vel fructus fundi pertinent ad fundi Dominum; idem jure antiquo valebat de venis metallorum, argenti, auri &c. modò solent eas Principes sibi reservare in usus publicos, ita tamen, ut Domino fundi compensetur damnum, quod infertur loco Less. Laym. sup. Lug. n. 106.

3. Sylvæ vel pascua, si sint sub certo Do- 13. minio sive alicujus privati sive totius communitatis, absque crimine furti, & obligatione restitutionis ab aliis occupari, vel defructuari non possunt; quòd ad ligna arida tamen Domini non solent esse graviter inviti maximè respectu pauperum, Syl. l. c. si subditi in sylvis ad suum pagum vel communitatem spectantibus, contra prohibitionem ligna cædant ad usus sibi, suæque familiæ necessarios, modò non faciant magnam stragem, non peccant graviter, neque ad restitutionem obligantur, quia sunt pars communitatis dominium habentis, & ejusmodi leges respectu subditorum plerumque sunt merè pœnales Salonius ad q. 62. a. 3. Tolet. l. 5. c. 20. Less. Azor p. 3. l. 5. c. 17. Econtra cædentes ligna vel depascentes pascua communitatis alienæ in notabili quantitate, peccant mortaliter, nisi & alii eorum sylvis & pascuis communibus utantur, damnùmque mutuò compen-
sent, vel ex praxi constet vicinos conten-

Q 2

tos

tos esse solâ multâ transgressoribus imponi solitâ. *Salon. Rodrig. p. 1. c. 38. Molin. Azor. Valsq. Laym. L. c.* si respublica sylvam vel pascuum commune alicui elocavit, subditi non possunt ablatâque furto ligna cædere, vel pascuis uti, quia locatarius jus acquisivit, ideóque est rationabiliter invitus.

14. QUÆR. V. Quid circa res derelictas, & thesauros?

R. Imò: res *derelictæ* vocantur, quas Dominus non ampliùs vult esse è numero rerum suarum, nec curat eas recuperare, etsi facile possit, unde patet res metu naufragii, vel incendii ejectas, vel ex tali periculo ereptas, non esse derelictas, nec fieri primò occupantis *l. navigia Cod. de furtis*, quia Dominus ideo non abjicit, quòd habere nolit, sed ut evadat periculum, vellétque recipere, si posset, & si bona naufraga sint Christianorum, occupantes sub excommunicatione reservata in Bullâ Cœnæ, ea restituere tenentur, nisi procul à fluctibus abrepta Dominus sciens, ubi sint, ea recipere non curet, vel tanta sit temporis longinquitas ex quo perdita sunt, ut Dominus vel ejus hæredes non possint ea moraliter recognoscere, nec aliquis sit, qui sciat ad ipsos pertinere, tunc enim verè censentur derelictæ. *Sporer n. 167. La Croix L. 3. p. 2. n. 90.*

15. R. II. Circa thesaurum tenenda sunt sequentia. 1. Thesaurus in jure definitur: *verus pecunia vel similis rei depositio, cujus non extat memoria*, sive in terra, muro, arbore, sive alibi reconditus fuerit; si extet rei memoria, vel Dominus, aut ejus hæredes cognosci possint, non est propriè thesaurus, nec est inventoris,

roris, sed Domino, vel ejus hæredibus restitui debet; unde patet, quid dicendum sit, si emissi vas tabaci, saccum lanæ hostibus ereptum, in quo invenis aurum, vel aliud pretiosum, si Dominus omnino ignoratur, ipsâ inventione acquiris tibi thesaurum, nec quidquam teneris venditori restituere, quia invenisti in re tuâ, nec venditor fuit Dominus thesauri, nec eum tibi vendidit, utpote sibi ignotum, sed lanam tantum, cujus pars non est thesaurus latens, ideoque si non à te, sed ab alio in tua lana reperiretur, ex media parte foret inventoris: Econtra si scire possis, quis aurum in lanâ deposuerit non sis Dominus auri, quia non est thesaurus, Sed res aliena, tibi per errorem tradita, Nec *obstat*: quòd ignorans latere aurum, per triennium bonâ fide saccum habueris, quia ignorans non possidet, per consequens nec præscribit. vid. Cal. 55, a. n. 9. ubi dicam, quòd sciens latere in alieno agro, vel sacco thesaurum, illum absque injuriâ pretio ordinario emere possit.

2. Thesaurus sive casu, sive ex proposito, 16. repertus in fundo quòd ad dominium utile & directum proprio, totus est inventoris, nisi sit repertus arte magicâ, vel à legibus reprobata, tunc enim post, & non ante sententiam judicis cedit fisco *L. 10. C. Tit. 15. Sylvius q. 66. a. 5. Lugo, Sporer L. c.*

3. Thesaurus casu repertus in fundo alieno ex mediâ parte debetur Domino fundi, & quidem ante sententiam, quia hæc constitutio non est in pœnam, sed ex æquitate naturali: studio quæsitus, & inventus cum consensu Domini totus est inventoris, sine consensu, vel

Q 3 cum

cum consensu fraudulenter obtento reperitur totus debetur Domino *L. nemo C. de Thefaur.* quia tamen lex quoad illam medietatem est pœnalis, integer thesaurus non debetur Domino, nisi post sententiam iudicis *Sylv. Rebell. Less. Laym. sup.*

17. 4. Si penes unum est dominium fundi directum, penes alium dominium utile, ut in feudo, emphyteusi &c. tunc thesaurus à 3tio aliquo in tali fundo absque dominorum consensu quæsitus & inventus, ex æquo inter utrumque Dominum dividendus est; si unus ex partialibus Dominis thesaurum invenit, tunc dimidium totius ad inventorem pertinet non minus quàm si extraneus casu invenisset, alterum dimidium iterum dividendum erit inter utrumque usufructuarium scilicet & proprietarium *Sporer. n. 173.* excipiunt tamen *Rebel. Molin. Metzger hic art. 2. n. 7.* merum usufructuarium, quia thesaurus non est fructus fundi; multò magis excipiendus, qui fundum in locationem, commodatum vel pignus accipit, ita ut illi non plus debeat de thesauro, quàm illi, qui in fundo planè alieno thesaurum cum, vel sine consensu Domini reperit.
18. 5. Thesaurus casu inventus in loco publico sub nullius proprietate constituto, etsi sit sub dominio jurisdictionis, ut Ecclesia, cœmeterium, forum, viæ publicæ, flumina, totus est inventoris; si ex industriâ sit inventus, aut locus publicus speciali jure proprietatis spectet ad Principem vel Magistratum, tunc dimidia pars erit fisci vel Ecclesiæ *inst. §. de rerum divis. Covarr. Bald. Less. Sylv. Sporer. l. c.*

QUER

QUÆR. VI. Quid & quotuplex sit accessio 19.
& qualiter per eam acquiratur dominium? R.
Accessio est jus, quo res aliqua ideo fit tua,
quia rei tuæ tanquam præsuppositæ & princi-
paliori accedit. Alia est naturalis, alia industrialis.

Accessio naturalis fit primò per *nativitatem*,
sic Dominus ancillæ fit Dominus prolis, etsi
pater sit liber, partus enim sequitur venterem,
Dominus pecoris fit Dominus fœtum, Domi-
nus fundi fit Dominus arborum, quæ in illo
crescunt, nam accessorium sequitur principale
reg. jur. 42. in 6.

2. Fit per *alluvionem*, alluvio autem est in-
crementum, quod alluente flumine uni præ-
dio demitur, & alteri adjicitur; quod si fiat la-
tenter, & quasi insensibiliter, dicitur *alluvio*
latens, & pertinet ad eum, cujus fundo adjici-
tur; si avulsio fiat per manifestum fluminis
imperum, dicitur incrementum *patens* v. g. vis
fluminis partem (intellige notabilem) de tuo
prædio detraxit, & meo attulit, palam est,
eam tuam permanere; nisi longiore tempore
fundo meo adhæserit, arborésque, quas secum
traxit, in meo fundo radices egerint; ex eo
tempore censetur meo fundo acquisita *L. adeo*
§. planè: de acq. rer. dom. Si nata fuerit insu-
la, vel flumen alveum mutet, alveus relictus,
aut nova insula accedit prædiis vicinioribus,
nata in medio flumine fit communis iis, qui
ab utraque parte fluminis prope ripam prædia
possident, *Cit. L. adeo §. præterea de rerum divis.*

R. II. *Accessio industrialis* fit per plantatio- 20.
nem, inædificationem, intexturam, scriptio-
nem, pictionem, quò etiam reducitur, speci-
ficatio, mixtio secundùm sequentes explicationes.

Q 4

1. Quid-

1. Quidquid ædificatur, seritur, plantatur postquam radices egit, cedit solo utpote principaliori *instit. de rerum divis.* Unde si ædificasti in alieno fundo, Dominus fundi fit Dominus ædificii, & quidem si id fecisti scienter in foro externo, nihil repetere potes, etiam si domus diruatur; si bonâ fide egisti, tenetur Dominus pretium materiæ & operarum solvere. *L. adeo ff. de acq. rer. dom.* si ex alienis lignis in proprio fundo ædificasti, sis Dominus ædificii, sed ex jure civili cogi potes ad ligna in duplum vel triplum solvenda, & si domus dissolvatur teneris ligna reddere in specie.

2. Si annulo tuo accedat gemma; pes, vel ansa poculo, Dominus principalis fit Dominus accessorii, etsi hoc fortè sit pretiosius *L. 23. §. 2. ff. de rerum vindicat.* si tamen accessorium sine detrimento separari possit *Spor. Lug. 160.* docent non transferri dominium; olim scriptura chartæ cedebat per *§. littera instit. de rerum divis.* nunc verò, quia charta est vilis pretii, cedit Scripturæ sicut & tabula, colorque picturæ.

21. 3. *Specificatio* est inductio novæ speciei in rem aliquam, ita ut in commercio humano fiat alia res v. g. ex lana pannus, ex frumento farina, secus si tantùm ex lana alba fiat nigra, ex spicis excutiatur frumentum, quia manet eadem res; ut specificatio transferat dominium, requiritur primò bona fides, quia *L. 12. §. 3. ff. ad exhibend.* dicitur, quòd scienter faciens ex meis olivis oleum, vel ex meis uvis vinum non fiat Dominus olei vel vini, ideo utique, quia id facit scienter hoc est malâ fide *Hannold. t. 5. n. 107. La Croix n. 125. Contra Bachovium,*

vinum, Wesenbecium. Deinde requiritur, ut materia ad priorem speciem reduci non possit v. g. ex alieno frumento fecisti panem vel cerevisiam, ex alienis uvis vinum, ex alieno corio calceos, ex vino acetum, ex quercu asseres, sis Dominus panis, cerevisiæ, vini &c. ita tamen ut tenearis Domino rei satisfacere, in quantum ex ejus re factus es ditior; Contra si materia aliena ad priorem formam reduci possit, non transfertur dominium v. g. ex meo argento fecisti poculum, ex meis asseribus navim, non sis Dominus poculi, vel navis, quia poculum potest iterum in argentum constari, navis in asseres dissolvi.

4^{to}: *Mixtio* quâ res solidæ miscentur, v. g. pecunia cum pecuniâ, triticum cum tritico, vel *confusio* quâ confunduntur res liquidæ oleum cum oleo, vinum cum vino; tunc tantum transferunt dominium, si tuæ rei potiori vel notabili (ut meritò requirit *Lugo* n. 166.) bonâ vel malâ fide indiscernibiliter admisceas alienam, tacito saltem animo eam tibi acquirendi, & quidem, si id facias bonâ fide, solùm teneris restituere Domino, in quantum ex permutatione factus es ditior; si malâ fide, teneris ad rem & omne damnum emergens; si mixtio facta est casu, vel mutuo consensu, vel ita, ut res mixtæ discerni & separari possint, nulla fit domini translatio, sed singulis competit actio in rem, arbitrio judicis discernenda. *Instit de rerum divis.* idem est si rem alienam misceas tuæ cum animo non acquirendi dominium, ut si frumentum tuæ custodiæ commissum, ut melius conservetur, misceas tuo. *Lug. Sporr. L. c.*

Q 5 CASUS

CASUS XXIII.

De modo acquirendi dominium
per præscriptionem.

Canutus ex hereditate, donatione, emptione
 varia bona & jura possidet, querit, an
 titulo præscriptionis in conscientia retinere possit.
 1. 2. 3. Res sacras, jus decimandi, & immu-
 nitatem à decimis. 4. Res communes, publicas.
 5. Furtivas apud defunctum depositas. 6. Quid
 de actibus mera facultatis. 7. Aut de jure re-
 dimendi pignus, vel rem venditam. 8. De obli-
 gatione obedientia. 9. Quid si scivit, vel dubi-
 tavit, an res esset aliena, vel retinuit rem an-
 terno inquirendi, vel adhuc dubitat factâ inqu-
 sitione. 10. 11. Quid si antecessor bonâ fide
 possedit, vel de hoc sit dubium. 12. Quid si ha-
 beat malam fidem respectu proprietatis, non res-
 pectu ususfructus, aut ab initio habuit malam,
 exposit bonam fidem, vel e contra. 13. Quid de
 servitute rusticâ & urbanâ. 14. Quid de debi-
 to personali ex mutuo vel empto. 15. Quid si
 intervenit error juris, v. g. 40. annis bonâ fide
 possedit bona Ecclesia sine consensu capituli emp-
 16. Qualiter noceat, vel prosit bona aut mala
 fides antecessoris. 17. 18. 19. 20. Quid si de-
 sit titulus 21. 22. Aut possessio civilis, vel na-
 turalis, vel non possit probari possessio intermedia
 23. Quid de tempore possessionis mobilium, & im-
 mobilium rerum ad pupillos vel Ecclesiam spectanti-
 um. 24. 25. 26. Quid de possessione immemoriali
 ejusque probatione. 27. Quid de bonis fisco incor-
 poratis

poratis, denunciatis, commissis, 28. Quid de
prescriptione delictorum. 29. Quid de prescrip-
tione dormiente. 30. Aut interrupta. 31. Pro
resolut.

QUÆR. I. Quid sit præscriptio, & an te-
neat in foro conscientia?

R. I. Præscriptio est acquisitio juris vel domi-
nii per possessionem bonâ fide, cum titulo,
tempore debito continuatam, ita quodam rem
omnes. In rigore differt ab usucapione, sicut
effectus à causa, hîc tamen pro eodem ferè ac-
cipiuntur.

R. II. Præscriptio non tantùm in foro exter-
no locum habet, ita ut completâ præscriptione,
repetenti rem suam non solùm negetur actio, seu
non audiatur in iudicio; sed etiam in foro interno
conscientiæ, ita ut, qui rem vel jus alterius per
tempus à lege definitum cum bona fide & titu-
lo possedit, verum ejus acquisiverit dominium,
possitque tutâ conscientia retinere; aut si ad alium
devenerit, vel priori Domino per errorem restituta
fuerit, eam tanquam suam repetere, & à quo-
cunque possessore vindicare valeat; est communis
cum *D. Thom.* quodl. 1. 2. a 25. *Scoto in 4. dist.*
15. q. 2. a. 2. Sylv. Molin. Less. Lug. Haun. t. 8. n.
164. Herman. Thes. 25. Pyrrhing, Schmaltzgrü-
ber, Engel, Krimer in L. 2. decret. tit. 26. contra
paucos, qui vel absolutè negant, vel cum Medina
saltem requirunt culpabilem negligentiam prioris
domini, vel cum Barth. Bald. Covarruv. Felin. de
præsc. n. 3. admittunt præscribi dominium utile,
non verò directum. Probatum imò. Lex dicitur
rerum Domina, potestque ex justâ & publica cau-
sâ uni jus adimere, & transferre in alium, ut fa-
cit in jure alluvionis & jure belli C. licet adeo §. 1.
Leg.

Leg.

Leg. 30. § ult. ff. de acquir. rerum dom. est autem publica causa transferendi per prescriptionem dominium directum & utile, ne incerta sint semper rerum dominia. *L. 1. ff. de usuc. evitenter infinitæ lites L. ult. ff. pro suo* quietentur conscientia possidentium *L. cum notissimi Cod. de prescript. 30. vel 40. ann.* item ut homines cautiores fiant; ergo. Probatum 2dò: *Canonium*, quod præcipuè salutem animarum considerat, multis locis approbat prescriptionem ut *C. novit 12. de jud. c. 2. de constit. in 6. & C. de prescript.* reprobatur solam prescriptionem cum mala fide, utpote quæ habet adjunctum peccatum; ergo supponit prescriptionem cum bona fide peccato, & restitutione immunem esse.

Dices 1mò: Nemo debet locupletari cum alterius injuriâ & jacturâ, *reg. 48. in 6.* Sed hoc fit in prescriptione, quæ dominum rei à vero Domino transfert in tertium; ergo. *ꝛ. N. min.* Nam regula tantum verat, ne quis injustè & privatâ auctoritate locupletetur cum alterius damno, non autem prohibet locupletationem justam, quæ fit auctoritate reipublicæ, & legum.

Dices 2. Lex pœnalis nitens præsumptione falsâ non obligat in conscientia, sed talis est lex prescriptionis, quæ fundat se in negligentia Domini, quæ sæpe non intercurrit, sed sola ignorantia, ergo. *Conf.* Si judex tibi adjudicet rem, quam postea certò cognoscis esse alienam, teneris eam in conscientia restituere, ergo à pari si lex prescriptionis tibi rem aliquam addicat, certò rescias esse alienam, obligaris & hanc restituere. *ꝛ. N. min.* Lex prescriptionis præcipue non intendit pœnam negligentia, sed quietem publicam.

publicam & cessationem litium. Ad *Conf. n. C.*
 Judex non confert jus; sed tantum declarat, quis
 videatur habere jus, lex præscriptionis confert jus.

Dices 3^{ti}o: Leges præscriptionis intendunt
 præcipue quietem publicam, seu finem litium,
 sed hunc finem obtinent, si elapso præscriptio-
 nis tempore in foro externo Dominus rei non au-
 diatur, quamvis in foro interno maneat obligatio
 restituendi, ergo: *Conf. 1.* Leges ad amputan-
 das lites etiam statuunt, ut defraudans infra di-
 midium non possit conveniri in foro externo, ni-
 hilominus manet obligatio restituendi in foro in-
 terno, ergo à pari hinc. *Conf. 2. Novella 9.* Præ-
 scriptionem vocat improbum subsidium, impi-
 am temporis allegationem, &c. Leges non tantum
 finem litium intendunt, sed etiam quietem con-
 scientiarum, quæ haberi non potest, nisi præ-
 scriptio in foro conscientie transferat dominium.
 Ad *Conf. 1. n. C.* Leges non approbant læsionem
 infra dimidium, tanquam justum titulum acqui-
 rendi rem alienam, sed tantum non concedunt
 contra lædentem actionem in foro externo, ne
 multiplicentur lites; e contra leges tam Canonice,
 quam civiles præscriptionem approbant, dicunt-
 que per eam rei alienæ dominium acquiri, ideò-
 que licite retineri posse. *Nov. cit.* loquitur de præ-
 scriptione malæ fidei, quam homines iniqui con-
 tra Ecclesias perperam allegabant.

QUÆR. II. Quæ sint conditiones requisitæ
 ad legitimam præscriptionem? 4.

¶ Sunt 4. Res apta præscribi, bona fides, jus-
 tus titulus, & possessio per tempus à legibus defi-
 nitum continuata.

Quod ad res aptas præscribi sciendum est omnes
 præ-

præscribi posse, nisi à jure specialiter prohibeat
tur, prohibentur autem seqq.

1. Res sacrae, Monasteria, Ecclesiae, calices,
jura spiritualia, puta jus cognoscendi, & judican-
di causas Ecclesiasticas, jus beneficia conferendi,
jus decimandi, &c. quæ sicut de jure Canonico
non possunt à Laicis possideri, sic nec ab iis (bene-
tamen ab Ecclesiasticis) possunt præscribi C. *Car-*
sam 7. de præscript. nam sine possessione præscrip-
tio non procedit, *reg. 3. in 6.* Possunt tamen
laicis præscribi ipsæ res decimales, seu bona Eccle-
siae non spiritualia, imò & immunitas à solvendi
decimis cum titulo tempore 40. annorum; sine ti-
tulo tempore immemoriali; intellige contra Ec-
clesiam Parochialem; nam contra aliam Ecclesiam
aut monasterium sufficiunt 40. anni sine titulo;
contra privatum Clericum aut laicum satis sunt
10. anni cum titulo; sine titulo requiruntur 30.
juxta vulgata præscriptionis jura. Intellige si ad
bona fides *Engel lib. 3. t. 30. §. 3. n. 49.* multò
magis præscribi poterit qualitas decimarum v. g.
ut loco frumenti solvatur certa pecunia, ut habet
communis.

5. 5. Præscribi non possunt res communes &
publicæ, ut forum, viæ, plateæ, pontes. *L. 9.*
ff. de usuc. Ratio est, quia nemo privatus ea potest
possidere, quia sunt omnium; neque liber homo
præscribi potest, ut fiat servus, etsi eum quis bo-
nâ fide, ut servum emerit, *cit. L. 9.* neque hæredi-
tas nondum divisa, quia manet communis, &
possidens non suo, sed omnium cohæredum, vel
sociorum nomine possidet *Schmaltz. 9.*

6. 3. Res furtivæ, vel immobiles vi possessæ, ne-
que à fure vel invasore, neque à tertio quodam usque
capi possunt antequam à vicio furti, vel violentiæ
purga-

purgatæ fuerint, purgantur autem dupliciter, vel per lapsum 30. vel 40. annorum, vel per hoc, quòd in manus Domini denuo reversæ fuerint. *L. 3. § 4. C. de præscript. 30. & 40. ann.* Unde infert *Engel*, hìc §. 2. n. 11. res mobiles raro præscribi per triennium; cùm enim à primo detentore ordinariè malâ fide alienentur, eo ipso vitio furti afficiuntur, nisi in Casu, quo hæres apud defunctum res depositas, commodatas, vel locatas tanquam res defuncti bonâ fide apprehenderit, & alienarit; tunc enim accipiens eas tempore ordinario præscribere poterit, non verò ipse hæres, quia hic repræsentat eandem cum defuncto personam, sicut ergo iste defectu possessionis ea præscribere non poterat, sic nec hæres.

4. Non procedit præscriptio in rebus, vel actibus meræ facultatis, id est talibus, quæ homines citra ullam obligationem, vel conventionem pro arbitrio suo facere solent, vel omittere, nisi quis ab exercitio ejusmodi actuum fuerit prohibitus, & prohibitioni acquieverit, tunc enim censetur prohibentem in quasi possessione se autem in putativâ obligatione constituisse. *Covarr. Gaill. L. 1. obs. 18. n. 4.* Unde si quot annis Ecclesiæ, vel hospitali cuidam certam pecuniæ quantitatem, vel alimenta donasti, cogi non potes ut imposterum dones *c. 61. Caus. 16. q. 1.* similiter licet Monachi ex alieno Monasterio Abbatem longissimo tempore elegerint, nequeunt tamen sub titulo consuetudinis, vel præscriptionis ad hujusmodi electionem imposterum continuandam compelli *C. Abbate 25. de V. S.* item si nunquam domum tuam altiùs ædificaveris, vel molendinum collapsum restauraveris, non erit contra te præscriptum, quin prohibitu id facias, nisi alius te prohibuerit, & tu prohibito-

hibitio-

8. hibitioni acquieveris, *Pyrrh. l. c. num. 16.* quæ omnia etiam locum habent in iis, quæ ex pacto fiunt liberæ facultatis, veluti in pacto de retro vendendo seu redimendo, quodocunque placuerit, ita ut nec in his admittatur præscriptio, cum adsit scientia juris alieni, & mala fides in præscribere volente *Gaill. sup.* ubi hanc sententiam dicitur Camera Imperiali esse receptam; idem communiter censent DD. de jure luendi pignus, ita ut debitor nullâ præscriptione impediatur, quominus oblatâ pecunia pignus repetere possit, tum quia creditor non possidet pignus ut suum, tum quia in potestate debitoris situm est, pignus datum, quodocunque voluerit, solutione debiti redimere. *Gayll. l. c. Mysing. Cent. 6. observ. 70. n. 20.*
9. 5^{to}. Non admittitur præscriptio contra obedientiam & visitationem *c. 12. § 16. h. t.* Intelligitur *extinctivè*, ita ut jus visitandi & exigendi obedientiam penitus extinguatur, seu penes nullum permaneat, ne homines fiant acephali sine capite, sicut locustæ, ut ait *Eng. n. 7.* Cæterum obedientia, & jus visitandi, instituendi, & destituendi clericos, uti & cætera jura Episcopalia *translativè* præscribi, & ab uno Superiore in alium v. g. ab Episcopo ad Prælatum inferiorem transferri possunt; *Abbas hic n. 15. Pyrrh. n. 21. Krimer n. 2213. Schmalzgr. n. 52.*
6. Qualiter præscribi non possint limites Provinciarum, Diocesium, Parochiarum, vid. apud AA. cit. quia hæc magis Canonistas, quàm Theologos concernunt.
10. QUÆR. III. Quid circa bonam fidem ad præscriptionem requisitam?
- 1^a. Tenenda esse sequentia: 1. *bona fides* est credulitas, quâ quis ex causa saltem probabili,

sibi rationabiliter persuadet rem, quam possidere incipit, esse suam, vel non alienam.

2. Certum est, quod possessor malæ fidei, qui scit vel credit, rem esse alienam, nullo tempore nequidem immemoriali præscribat *Reg. 2. in 6. c. fin. h. t.* ubi dicitur: *quoniam omne, quod non ex fide est, peccatum est; Synodali iudicio definitum, ut nulla valeat sine bona fide præscriptio tam canonica quam civilis, cum generaliter omni constitutioni & consuetudini sit derogandum, que absque peccato mortali non potest observari, unde oportet, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Quibus verbis corrigitur jus civile, quod solum initio præscriptionis bonam fidem requirit, ita ut mala fides ex post superveniens non officiat, imò in præscriptione 30. vel 40. annorum simpliciter malam fidem admittebat per *l. 3. & seq. de præscript. 30. vel 40. ann.*

3. Qui cum dubio, an res sit sua vel aliena, absolute possidere incipit, peccat, ideòque habet malam fidem, & præscriptionem inchoare non potest. Si incipiat possidere, animo inquirendi, & reddendi rem Domino, casu quo comperiat esse alienam, non peccat, hæc tamen possessio non sufficit ad præscribendum, quia si res fuit aliena, noluit eam possidere ut suam, si autem fuit sua, non indigebat præscriptione *Covar. Molin. Less. Lug. d. 7. n. 22.*

4. Si de re jam bonâ fide possessâ incipiat dubitare, tenetur inquirere, & si post adhibitam mortalem diligentiam dubium vincere non possit, licitè rem retinet, quia in dubio melior est conditio possidentis, per consequens possessionem & præscriptionem bona fide continuat; si post adhibitam

R

bitam

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

bitam diligentiam adhuc practicè dubiter, probabiliter pergit præscribere, nam quamvis peccet retinendo rem cum conscientia practicè dubia, quia tamen reverà non est obligatio restituendi non est ratio, cur cesset præscriptio magis, quam si quis detinet rem animo superbo vel conditionato non restituendi, etiamsi sciret esse alienam, quam tamen nunc certò credit esse suam. *Exg. n. 14.* communior tamen cum *Lugo n. 13. Less. c. 6. n. 13. Pyrrh. n. 58.* dicit, tunc impediri præscriptionem, quia *c. fin. cit.* derogat omni præscriptioni, quæ absque peccato mortali non potest observari.

12. 5. In dubio regulariter præsumendum est, aliquem bonâ fide possedisse, nisi contrarium probetur, quia delictum non facile præsumi debet, *Gloss. in c. diligenti 17. h. t.* idque verum est, etiamsi absque titulo possideat, nisi contra jus commune rei possessionem acquisierit, & possessionis suæ causam, ac titulum alium afferre nequeat, quàm quòd longo tempore pacificè possederit *Corvarr. Abbas n. 14. § 15. Laym. c. 8. n. 10. Pyrrh. n. 48. Dicast. d. 10. n. 195. Schmaltzg. n. 80.*
13. 6. Si prior possessor, à quo rem donatione, permutatione, emptione accepisti, bonâ fide possedit, tu autem ab initio dubites, teneris inquirere; si verò factâ inquisitione dubium resolvere non possis, licitè pergis possidere, quia succedis in jus tui antecessoris, qui suborto dubio licitè poterat continuare possessionem, ergo & tu; nam non simpliciter possessionem incipis, sed continuas ab alio bonâ fide cœptam, neque alterius delictum in dubio præsumere debes *Lugo n. 64.*

7. Si habeas malam fidem respectu proprietatis fundi, bonam autem fidem respectu ususfructus, poter

poteris præscribere usum fructum *Lugon. 28.* Si ab initio habuisti malam fidem, ex post autem superveniat bona fides, à tempore bonæ fidei incipis præscribere, colligitur *ex Reg. jur. 36. in 6. pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.*

8. Libertas à servitute rustica id est tali, quâ obligor ad aliquid patiendum v. g. ut quis eat per meum agrum, utatur meo puteo; præscribi potest cum scientia juris alieni, quia, cum non teneat proximum monere, ut utatur jure suo, possum absque peccato tacere, & suo tempore præscribere, e contra ut præscribam libertatem à servitute urbana, id est tali, quâ obligor ad abstinendum ab aliqua re vel actu aliàs secundum se communiter licito, requiritur ignorantia invincibilis juris alterius, quia debet intervenire actus, quo agam contra jus alienum, v. g. debeo contra jus vicini facere prospectum in ipsius hortum, vel stillicidium, in ejus tectum, quod si agam scienter, facio ei injuriam & procedo malâ fide *Laym. num. 12. Eng. n. 18.*

9. Ad præscribendam libertatem à debito personali v. g. mutui, etiam requiritur bona fides, seu ignorantia juris alieni, quâ quis credat se nihil debere, quia v. g. debitum putat esse solutum, vel condonatum; si habet notitiam debiti, nullo tempore præscribet. *Felin. Molin d. 66. n. 5. Less. c. 6. n. 19. Covarr. Myns. cent. 4. obs. Gaill. l. 2. obs. 18. n. 17. Barbosa. in coll. ad c. fin. h. t. Pyrth. n. 51. Haun. n. 91. Schmaltz. g. cum aliis n. 62. Reiffenst. hic n. 111. contra Vasq. & alios. Prob. 1. Qui habet conscientiam rei alienæ non præscribit c. fin. h. t. sed talis debitor habet conscientiam rei alienæ, ergo. 2. Qui scienter detinet rem alienam, nunquam, præscribit, etiamsi Dominus*

rem suam non repetat, ergo similiter qui scienter est alteri obligatus ex mutuo vel alio contractu. Debitor conscius debiti vel habet animum solvendi, casu quo debitum exigatur, vel non; si habet, jam non possidet jus activum creditoris tantquam suum, consequenter nec est in conditione jus illud præscribendi, cum sine possessione non currat præscriptio *c. 3. de reg. jur. in 6.* Si non habet animum solvendi, est in mala fide Theologica, cum quo non subsistit præscriptio. idem videtur dicendum de eo, qui quidem habuit notitiam debiti, sed ex post memoriâ excidit, vel enim tunc, cum recordaretur debiti, habuit animum solvendi, & sic ipse non possidet jus alterius, vel non habuit illum animum, & tunc est in malâ fide.

Dices 1. Debitor habet animum solvendi debitum, si creditor exigit intra tempus à jure præscriptum, sin minus, vult retinere ut suum, ergo jus creditoris verè possidet, nec est in mala fide Theologica, quia non obligatur solvere, antequam debitum exigatur, ut ex praxi notum est, ergo.

2. Jura volunt omnem actionem lapsu 30. annorum extingui *L. sicut 9. L. omnes 4. cod. de præscript. 30. ann.* Ergo etiam actio ad debitum extinguitur seu præscribitur lapsu 30. annorum.

R. *Ad 1. N. C.* Si hoc sufficit, ergo etiam depositarius, vel precario utens re alienâ, præscribet, quia nec vult, nec tenetur rem depositam vel precariam restituere, antequam alter exigit. Deinde vel debitor ante lapsum 30. ann. debitum retinet ut suum, & tunc peccat, & est in mala fide, vel non retinet ut suum, & non possidet.

Ad 2. Jura ad summum volunt, pro foro eterno extingui omnem actionem lapsu 30. anno-

rum,

rum, hoc est non ampliùs audiri in iudicio, non autem volunt præscribi, vel transferri dominium rei alienæ scienter possessæ.

10, Ignorantia seu error facti non obstat præ- 16.
scriptioni, neque ignorantia juris dubii vel controversi, bene tamen ignorantia juris clari, etiam si sit invincibilis, quia hæc causat malam fidem non Theologicè, sed fictione juris, ut apertè habetur *L. 4. 7. 8. ff. de jur. & facti ignor. L. 31. de usucap.* adeò ut nec in conscientia præscriptionis jure quis uti possit, nisi sit persona, in qua toleratur ignorantia juris, ut minorennis, miles, fœmina, rusticus non habens consultorem *Molin. Eng. Pyrrh. L. c. Krimer à n. 235. & plures apud Schmaltz g. n. 67.* Hinc qui emit bona Ecclesiæ sine consensu Capituli, etsi invincibiliter putet hunc consensum non requiri, non præscribit, in possessione tamen longissimi temporis, consensus, & alia necessaria præsumuntur intervenisse, nisi doceatur contrarium. Ratio est: quia præscriptio jure humano introducta est, ergo locum non habet, ubi jus prohibet, sed prohibet cum ignorantia juris clari, ergo. Oppositum tamen sustinet *Andr. Rath. de usuc. c. 12. assert. 43. & probabile dicit. Less. Palao. Haun. probatque Lug. n. 32.* Quia jura præsumunt ignorantiam juris clari conjunctam esse cum peccato, si ergo reverà conjuncta non sit, præscriptionem non impedit, imò ignorantiam juris clari in sola præscriptione ordinarii, non verò longissimi temporis 30. vel 40. annorum locum habere docent *Covarr. Less. Haun. n. 203. Rob. König hic n. 37.* Quia ad præscriptionem longissimi temporis jus civile admittit malam fidem, de jure Can. tantùm excluditur illa mala fides, quæ peccatum est, sed invinci-

- bilis ignorantia juris clari non est peccatum. Op-
positum docent *Engeln. 15. Krimer n. 2354.* Quia
jura simpliciter dicunt errorem juris ad usucapio-
nem non prodesse, & quamvis ignorantia juris
clari non sit peccatum, seu mala fides Theo-
logica, est tamen mala fides juridicia, seu inter-
pretatione juris, utraque sententia est probabilis.
17. 11. Bona fides antecessoris in tantum prodest
successori bonæ fidei, ut tempus antecessoris ad
suam præscriptionem computare possit, v. g. em-
stifundum per 5. annos bonâ fide à venditore pos-
sessum, si tu similiter per 5. annos bona fide possi-
deas, complevisti præscriptionem longi temporis
idque sive sis successor universalis, seu hæres, si-
ve particularis ex emptione, donato, legato, §.
7. & 8. *instit. de usuc.* Ratio est, quia auctor
tradit rem cum omni jure, quod ipse habuit,
sed præscriptio ab ipso bonâ fide inchoata est pars
juris, ergo. Econtra mala fides antecessoris etiam
non noceat successori particulari, quominus præ-
scribere possit inchoando à propria possessione bo-
næ fidei per d. §. 8. *instit. L. 5. ff. de divers. temp. præsc.*
præsc. Nocet tamen successori universali, seu hære-
di, ut, licet ipse sit in bonâ fide, à te tamen præ-
scriptionem inchoare non possit, nisi speciali &
alio, quàm hereditatis titulo foret munitus L. 11.
Cod. de acq. poss. L. 11. ff. de divers. temp. præsc.
quod *Covarruv. Palao, Eng. num. 16. Schmaltz.*
aliique communiter ita intelligunt, ut ejusmodi
hæres nec longissimo tempore præscribere possit.
Ratio est, quia successor universalis in jure est ea-
dem persona cum defuncto, succeditque in omnia
jura, & obligationes, ejuque possessio censetur ea-
dem cum possessione antecessoris, ergo sicut hic
nunquam potuisset præscribere, sic nec ejus hæres.

Deinde

Deinde hæres suscipit in se omnes obligationes defuncti, sed inter has est obligatio restituendi rem malâ fide possessam, ergo. Idque probabilius etiam tenet de hærede mediato, seu hæredis hærede *Lug. 19. n. 16.* nam sicut primus hæres suscipit in se omnes obligationes sui immediati antecessoris, sic & secundus sui antecessoris, nec propterea duplex fictio cadit in eandem personam, ut volunt *Covarr. Eng. Krim.* sed secundus hæres fictione juris repræsentat solum immediatum antecessorem, cujus etiam obligationes suscipit, inter quas est obligatio restituendi malâ fide possessa à primo antecessore; attamen Prælato vel successori in beneficio non nocet mala fides antecessoris, quia non habet causam suam ab antecessore, sed ab electione Capituli, vel collatione Superioris. *Panorm. Zæf. h. t. n. 14.* Nec mala fides Prælati nocet Capitulo in bonâ fide existenti *Rath. Eng. n. 17.* si tamen prælatus certò sciat (secus si dubitet) rem esse alienam eamq; non restituat, *Laym. Pyrrhing. num. 78. Reiffenst. n. 81.* meritò dicunt, quòd locum non habeat præscriptio pro illo tempore, etiam si Monasterium seu Capitulum sit in bonâ fide. Ratio est quia Prælatus est caput Capituli, & pro indiviso unâ cum Capitulo possidet rem, ideòq; ejus mala fides inficit totum corpus, & præscriptionem impedit; quare si Prælatus in articulo v. g. mortis fateatur, se alienum agrum sic possedisse, Capitulum tenetur ei credere, & agrum reddere suo Domino, Etiam si eum per 30. vel plures annos tenuerit; Neque mala fides Procuratoris vel tutoris nocet Domino, vel pupillo, si uterque bonam fidem habuerit, & res ipsa non sit aliquo vitio reali v. g. furti affecta *L. 11. pro emptore L. 198. ff. de R. 7.*

R 4

QUÆR.

21. QUÆR. IV. Quid circa titulum?

R. Seqq. 1. Per titulum hîc intelligitur quavis causa habilis ad transferendum dominium, velut emptio, donatio, solutio debiti, legatum, hæreditas, res derelicta, &c. unde habens talem titulum in jure dicitur possidere pro emptore, pro donato, pro soluto, pro hærede, pro legato, &c.

2. Titulus alius est *verus*, qui nullo substantiali vitio laborat, ut valida emptio, donatio; alius est *coloratus* seu apparens, qui occultâ laborat nullitate; ut si bonâ fide à Titio emisti agrum, quem putabas esse Titii, cum tamen sit Caji. Alius est *existimatus*, qui prudenter creditur intervenisse, & tamen non intervenit; ut si ex hæreditate possideas rem, quæ à patre tuo dicitur esse empta, cum tamen empta non sit; alius denique est *presumptus*, quando nequidem allegari potest determinatus titulus, sed ob longitudinem temporis præsumitur titulus intervenisse.

3. Ad præscriptionem non requiritur titulus verus; ut patet; quia hic se solo absque præscriptione dominium transfert, ut valida donatio, emptio &c.

4. In præscriptione brevis vel longi temporis 3. 10. vel 20 annorum debet allegari, & probari posse certus titulus coloratus, vel existimatus, ut clarum est ex *L. nullo Cod. de rei vindicat.*

22. 5. In præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum ordinariè non est necesse allegare vel probare titulum, sed jura ex diuturnitate temporis titulum præsumunt, nisi jus commune præscribenti resistat; tunc enim non sufficit sola bonæ fides, sed insuper titulus allegari, & probari, vel de immemoriali tempore doceri debet; ut si quis

quis contra Ecclesiam Parochialem præscribere velit decimas, præter possessionem 40. annorum, oportet, ut doceat de titulo, vel tempore immemoriali.

QUÆR. V. Quid circa possessionem? 23.

R. 1. *Possessio* in genere est corporalis detentio vel insistentia rei, animo eam habendi ut suam; dico *corporalis*, quia rerum incorporalium v. g. jurium aut beneficiorum non est vera sed quasi possessio.

2. *Possessio* alia est *facti*, quâ insistitur rei præscindendo an justè vel injustè; alia est *juris* quâ justè rei insistitur. *Possessio* facti iterum alia est *naturalis*, quâ quis corpore & animo insistit rei; alia *civilis*, quâ solo animo res tenetur, etsi alius insistat facto & re. Qui detinent rem non ut suam, sed nomine alterius, ut depositarius, commodatarius, locatarius &c. non possident, neque unquam præscribunt, sed ut quis possideat rem vel jus alienum, debet iis uti tanquam suis.

3. Vulgaris & recepta est juris regula, quòd sine possessione non currat præscriptio. *c. 3. de R. 7. in 6.* Et quidem ad inchoandam præscriptionem concurrere debet possessio naturalis & civilis, ad complendam verò civilis sufficit, licet possessor naturali exciderit, vel eam ex causa absentiaë reliquerit. *L. 1. § 6. ff. de acq. possess.* Censetur tamen etiam civilis possessio, seu animus possidendi amissus, si quis re suâ ab alio occupatâ, sciens & potens, præparatoria recuperationis non fecerit, aut vacuam ad 10. annos reassumere neglexerit. *L. 37. § 1. ff. de usurp. § usus.*

4. Ad probandam possessionem continuam plerumque sufficit, ostendere principium possessionis, & possessionem pro præsentem, quia inter-

media præsumitur, nisi probetur contrarium. *L. 16. Cod. de prob. Pax Ford. Palao. Covarr. Reg. p. sess. p. 2. §. 1.*

QUÆR. VI. Quale tempus à jure requiratur ad complendam præscriptionem?

24. R. Varium requiri pro diversitate rerum; nam aliqua præscribuntur tempore brevi, hoc est triennio vel infra, alia tempore longo, hoc est 10. vel 20. ann. alia tempore longissimo 30. vel 40. vel plurium annorum, alia denique tempore immemoriali juxta sequentes explicationes.

1. Res mobiles etiam ad Ecclesiam Romanam, vel quamcunque spectantes, cum titulo & bona fide præscribuntur triennio, sine titulo annis 30. ut ex jure probant *Covarr. Molin. Less. c. 6. n. 22. Laym. n. 13. Palao. Pyrrh. n. 90.* quod tamen *Paronorm. Hostiens. Petra tom. 2. fol. 425.* non admittunt de rebus Ecclesiæ mobilibus valde pretiosis, has enim sicut in alienatione, ita & in præscriptione dicunt comparari rebus immobilibus, eò quòd præscriptio sit species alienationis *L. 28. ff. de u. l.* Ideòque volunt non præscribi nisi tempore longissimo cum titulo; excipiuntur etiam res mobiles furtivæ, vel immobiles vi possessæ, quæ non nisi 30. annis præscribuntur, ut sup. dictum est.

25. 2. Res immobiles (ad quas reducuntur census, redditus annui, ususfructus, servitus, beneficia, jus patronatûs, jus decimarum &c.) spectantes ad privatos, præscribuntur cum titulo inter præsentés 10. inter absentes 20. sine titulo 30. annis; neque tunc attenditur, an præsentés vel absentes fuerint *L. 3. de præf.* præsentés dicuntur, qui in eadem Provincia vel ut explicat *Pyrrh. n. 59.* qui in eadem civitate, vel sub eodem regimine, & clerici, qui in eadem Diœcesi habitant: quòd si quis

quis partim absens, partim præsens fuerit, tempus absentiae duplicari debet per *L. 12. § Auth. quod si quis C. de præsc. longi temp.* neque hoc tempus de momento in momentum, sed de die in diem computari debet, ita ut ad completam præscriptionem sufficiat diem ultimum esse inchoatum, etsi necdum plenè sit elapsus, ut habet communior cum *Krimer n. 2393.*

3. Contra legem civilem præscribitur 10. contra legem Canonicam 40. annis, vel ut habet *L. x. go n. 94. § D. D. cit. Cas. §. n. 14.* etiam decennio.

4. Res immobiles, & jura Ecclesiarum olim præscribebantur tricennio per textum & *Gloss. in c. 3. h. t.* modò regulariter 40. anni requiruntur, etiam cum una Ecclesia præscribit contra aliam *c. 4. 6. § 8. h. t.* quod etiam locum habet in rebus hospitalium, causarum piarum, civitatum. *Novel. 111. c. 1. nov. 131. c. 6. de SS. Eccles. & DD.* communiter; dico regulariter, nam contra Ecclesiam Romanam, hoc est Lateranensem, & summum Pontificem, non admittitur nisi centenaria præscriptio, & contra Benedictinos ex privilegio Eugen. IV. sola sexagenaria, contra Mendicantes, & Cistercienses in Hispania, & per communicationem in superiori Germania sola centenaria à diversis Pontificibus concessa; ut citatis juribus probant *Molin. Illf. Engel n. 33.* & in hac longissimi temporis præscriptione non requiritur titulus, nisi jus resistat, vel sit vehemens præsumptio possessionem malâ fide, vel ex juris errore acquisitam, tunc enim necesse erit probare titulum apparenter justum, per quem elidatur præsumptio malæ fidei, vel probanda est præscriptio immemorialis.

§. Imme-

27. §. *Immemorialis* possessio tunc requiritur quando jus commune resistit, & non adest titulus nam immemorialis possessio inducit præsumptionem tituli, habetque vim privilegii in capace possessionis *c. 1. h. t.* estque maximæ autoritatis in jure, nec compræhenditur statuto, aut lege generalibus verbis prohibente præscriptionem per clausulam *non obstante præscriptione*. Dicitur autem possessio immemorialis, cujus initium excedat hominum memoriam, censetur autem excedere hominum memoriam si excedat 100. annos, nec constet de ejus initio; 100. enim anni sunt finis vitæ hominis longævi *d. L. fin.* Unde differtur possessio centenaria, quòd de ejus initio constet, ideòque si jus commune resistat, debet in centenaria allegari, & probari titulus, quod non est opus in possessione immemoriali, de cujus initio non constat *Pyrrh. n. 127.* Neque obstat præscriptioni immemoriali, quòd ante 200, vel 300. annos alius possederit, modò hujus possessionis memoria non existat, quod probari potest testimonio senum, qui nunc vivunt, testanturque quòd à 40. annis semper viderint, & à majoribus audiverint sic esse, quòd sit & semper fuerit communis opinio, & fama de hoc facto, neque extet contrarii, vel initii memoria. *Navarr. Covarr. Molin. d. 76. n. 5. Myns. obs. 30.*
28. 6. Bona fisco jam incorporata tam moxquam immobilia non nisi longissimo tempore utucapiuntur §. *res fisci juncta Gloss. inst. de usuc.* Si vero fisco nondum sint incorporata, sed, eò quòd quis sine hærede mortuus sit, vacantia, & fisco denunciata, quadriennio acquiruntur, *L. 1. C. de quadr. pres.* Si ob crimen fisco commissa sunt, quinquennio actio fisci extinguitur *c. 2. d. pres. in 6.*

Excipit

Excipe bona fisco Ecclesiastico commissa ob crimen hæresis, quæ contra Romanam Ecclesiam 100. contra alias 40. annis præscribuntur.

7. Delicta regulariter præscribuntur 20. annis 29. non tantùm quodad accusationem, sed etiam ex communiore quodad inquisitionem; excipitur accusatio adulterii, lenocinii, & peculatus, quæ quinquennio eliditur *L. 5. C. ad L. Jul. L. 7. ff. ad L. de peculat.* præterea aliqua crimina valde enormia, ut læsæ Majestatis, parricidii nullâ præscriptione extinguuntur *L. fin. ff. ad leg. Pomp. de parricid. L. 19. §. 1. ff. ad leg. Corn. de fals. L. 4. Cod. de apost.*

QUÆR. VII. Quid sit dormire, & interrumpi præscriptionem?

§. I. *Dormire* dicitur præscriptio tunc, quando legitimè inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, & quiescit, ita ut remoto impedimento denuo procedat, possitque tempus subsequens uniri cum præcedente, deducto solum tempore intermedio inutili, sic dormit contra pupillum durante ætate pupillari, contra minorem durante minorennitate *L. 3. C. de præf. 30. vel 40. ann.* contra Ecclesiam sede vacante, aut Prælato excommunicato, suspenso vel aliter agere impedito *c. 4. §. 15. h. t.* item tempore sævientis belli, grassantis contagionis, dum non est in loco, qui jus dicat, quia generaliter non valenti agere non currit præscriptio *c. 13. Caus. 16. q. 3. C. 14. h. t.* In his casibus etiam datur minorennibus, Ecclesiis aliisque ex causa reipublicæ absentibus, captivitate, vel exilio detentis restitutio in integrum contra præscriptionem jam completam, idque quadriennio à die, quo quis majorennis factus, vel quo Ecclesiæ, velei, qui causâ reipublicæ,

publicæ,

publicæ, studiorum, vel alio iusto titulo abfuit, integrum fuit, re intellectâ restitutionem petere
c. 1. § 2. h. t. in 6. L. ult. Cod. de temp. in integ. restit.

31. *§ II. Interrumpitur præscriptio vel naturaliter, vel civiliter, naturaliter interruptitur, si aliquid desit ex requisitis substantialibus, putâ si desinat bona fides, aut jam cognoscatur non adesse titulus, qui adesse credebatur, vel denique amittitur naturalis & civilis possessio etiam per injuriam, D. D. in L. naturaliter ff. de usurp & usucap. Civiliter interruptitur per litis contestationem, hoc est: uno judicialiter rem petente, altero negante, non verò per solam citationem L. mota litis 26. Cod. de rei vindic. unde possessor lite motâ dicitur constitui in fictâ malâ fide, ita ut à die litis contestatæ nec fructus ampliùs lucretur, sed conservare, & actori, si obtineat, restituere teneatur L. 38. §. 7. de usurp. L. certum. 22. C. de rei vindic. quòd ad effectum verò utriusque interruptionis duæ sunt notabiles differentiæ, prima quòd naturalis interruptio absolutè respectu omnium adversariorum interruptat præscriptionem text. & DD. in L. §. ff. de usurp & usuc. Econtra civilis interruptio tantùm se habet respectu illius, qui litem movit, ideòque non obstante lite à Cajo motâ, potest præscribi contra Titium L. 2. C. 1. quibus res, judicata. 2. da differentia est, quòd possessio, & præscriptio naturaliter interrupta de novo inchoanda sit, civiliter autem interrupta tunc demum interrupta manet, si sententia condemnatoria contra possessorem sequatur, si verò possessor victoriam obtineat, vel per pactum aut transactionem à lite recessum sit, proinde tunc possessionis continuatio habetur, ac si lis mota nunquam fuisset*

fuiſſet *Felin. Laym. Eng. L. c.* Si verò actor ſpon-
te à lite deſiſtat, & inſtantia per lapſum triennii
perempta ſit, is erit effectus interruptionis civilis,
quòd ad præſcribendam ejuſmodi actionem requi-
rantur 40. anni à die, quo actor à lite deſtitit *l. ult.*
C. de præſc. 30. vel 40. ann. Unde ſi intra illud
tempus lis denuo ab actore, vel ejus hæredibus
moveatur & evincatur, res, licèt aliàs fuiſſet præ-
ſcripta, reſtitui debet *Eng. Krim. l. c. Pyrrh. n.*
134. hæc Theologo de præſcriptione ſufficiant,
qui plura volet, legat citatos aliòſque Canoniſtas.

C A S U S XXIV.

De Dominio Clericorum.

DEſiderius Clericus dubitat. 1. *An ſit Domi-
nus bonorum patrimonialium.* 2. *Quaſi pa-
rimonialium, & que hæc?* 3. *Eccleſiaſticorum ne-
ceſſariorum.* 4. *Superfluum.* 5. 6. *An hæc ex
juſtitia ſint eroganda in pauperes.* 7. *An ex iis
poſſint alii proles.* 8. *Solvi debita.* 9. *Quid ſi debi-
ta contracta ſint culpabiliter.* 10. *An ex ſuperfluis
poſſint conſanguinei ditari, alii in ſtudiis.* 11. *An
ornari Eccleſia aliàs ſatis ornata.* 12. *An Cleri-
cus plus ſibi indulgere poſſit, quia eſt ditior, nobi-
lior &c.* 13. *An donatio ex ſuperfluis ſit valida,
an obliget ad reſtitutionem.* 14. *Que hic ſit ma-
teria gravis.* 15. *An Clerici teſtari poſſint ad cau-
ſas pias vel profanas.* Pro reſolut.

QUÆR. Quale dominium in ſua bona habe- 1.
ant Clerici, & ad quos uſus teneantur impen-
dere?

R. Bona

Re. Bona Clericorum in triplici sunt differenti

1. Sunt bona *patrimonialia*, inter quæ nomen dantur omnia, quæ Clerici independenter à beneficio Ecclesiastico possident v. g. ex hæreditate, legato, donatione, arte, vel propriâ industria. Certum est, quòd Clerici perfectum horum habeant dominium, ita ut de iis ad libitum disponere, contrahere aut testari possint sicut Laici.

2. 2dò. Sunt bona *quasi patrimonialia* ea scilicet, quæ non acquirunt tanquam fructus beneficii, sed tanquam laboris Ecclesiastici stipendium, v. g. pro Missis, concionibus, cantu, administratione Sacramentorum, funeralibus, anniversariis, quæ vocari solent jura stolæ; ad quæ à plerisque reducuntur solent præsentia chorales. *Azor. Lugo d. 4. Clar. Gonzales apud Bonac. 1. to. tr. 4. punct. 2.* adeo ut horum habeant plenum dominium. Ratio est, quia hæc omnia dantur in stipendium laboris, sicut ergo alii stipendiarii, qui Ecclesiæ deserviunt velut Musici, Syndici, sacristæ, grammatici & similes, fiunt absoluti Domini suorum stipendiorum, ita ut ea pro libitu in profanos usus licitè & validè convertere possint, sic & clerici; sed quid, si sit ingens excessus inter laborem & remunerationem v. g. Clericus pro una præsentia, vel pro uno anniversario accipit 10. aureos, an adhuc ejusmodi bona censebuntur industrialia? Re. cum communi affirmativè, quia non dantur intuitu beneficii, sed laboris, sicut si Pastor pro Benedictione nuptiarum, vel funeralibus alicujus Magnatis accipiat 100. qui utique inter industriales computantur, ergo etiam ii, quos Canonicus accipit ratione præsentia, vel anniversarii. Similiter ad quæ si patrimonialia *Cajet. Vasq. Haunold. Sorus de Just. lib. 10. q. 4. a. 3.* reducunt reditus Capellanæ etiam

am perpetuæ ad certas Missas, & meritò; si reditus non multùm excedant stipendium ordinarium Missarum, secus numerandi sunt inter fructus beneficiale, Capellania enim perpetua indubiè est verum beneficium. Nec refert, quòd dentur intuitu laboris, nam reditus beneficiorum etiam non dantur otiosis. *Nav. Mezger t. 11. d. 29. a. 1. n. 4.*

3. Habent *bona Ecclesiastica*, id est reditus & pensiones annuas ratione beneficii in sustentationem ad præstanda officia Ecclesiastica; & horum aliqua sunt *necessaria* ad honestam suæ suæque familiaris sustentationem, ad quam etiam pertinent honestæ recreationes, hospitalitas, moderata convivia, donationes, non tantùm remuneratoriæ, sed & liberales convenienter statui, & dignitati; plus enim in his potest sibi attribuere Episcopus, quàm Decanus, plus Decanus, quàm simplex beneficiatus. Alia sunt *superflua*, quæ scilicet superflua sunt honestæ sustentationi: de necessariis iterum est communis sententia, quòd Clerici horum sint absoluti Domini, ita ut non solùm de his vivere possint, & parcere suis patrimonialibus, sed & si ex iis aliquid sibi per parsimoniam subtrahant, illud possint licitè in usus profanos impendere *S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. & ibid. Sylvius, Sotus, Covarruv. Corduba, Vasq. Arragon. Less. c. 4. d. 6. Barbos. Molin. d. 143. Lugo d. 4. n. 2. Metzg. a. 2. n. 6. contra Nav. Antonin. Sylvest. Panormit. aliòque plures, quorum sententiam Sporer. t. 4. c. 1. n. 99. vocat probabilissimam. Ratio nostra est, quia Clerici recipiunt reditus suos tanquam justum stipendium officii spiritualis in necessariam sustentationem, nam dignus est operarius mercede suâ*

S

Luc.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.

Luc. 10. sicut ergo alii officiantes fiunt Domini totius sui stipendii, sic & Clerici.

4. 4. Clerici etiam sunt veri Domini superfluatorum. D. D. cit. probatur tum ex *Trident. Sess. 21. c. 1. de reform.* ubi universaliter sæpe dicitur, quòd Clerici absentes non faciant fructus suos, ergo supponit, quòd præsentés faciant suos, sed fructus facere suos est acquirere eorum dominium, ergo. Tum ex *C. quatuor 12. q. 2.* ubi *Gelas. Papa* dicit totam quartam partem esse Clericorum, & non solum partem congruæ sustentationis; tum denique Ratione, quia beneficiati acquirunt omnes fructus eodem titulo beneficii, ergo sicut necessariorum fiunt Domini, ita & superfluatorum, et cum gravi obligatione superfluos impendendi in usus pios. *Trid. Sess. 25. c. 1. de reform.* & Theologi omnes.
5. An autem hæc obligatio superflua applicandi in usus pios sit ex justitia, ita ut applicantes ad usus profanos teneantur ad restitutionem, an verò ex virtute religionis, Charitatis vel alterius probabiliter utrimque disputatur: Verius videtur esse obligatio justitiæ *Valent. tom. 3. d. 3. Tanner. Tom. 3. d. 4. q. 6. Laym. L. 4. t. 2. c. 3. n. 3. Girken hic q. 2. dub 5.* & omnes, qui negant Clericos reditu Ecclesiasticorum habere dominium, quos magno numero adducit *Navarr. de redit. q. 2. Lugo. sup. Leuren. L. 3. q. 584.* & optimè *Reiffenstul L. 3. decret. tit. 25. n. 56.* Probatur primò: quia qui accipit aliquid cum onere, ut ejus partem det alteri, si non dat, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem ex lege naturali justitiæ, atque Clerici tam amplos reditus habent cum onere, & tacito pacto, ut superflua in eleëmofynas vel alias causas pias impendant, ideo enim dicunt

SS. PP. superflua esse bona pauperum, imò esse factum, & sacrilegium, quando in usus profanos convertuntur, concordant Canones *c. revertimini. C. decima* 16. q. 2. *c. similiter. c. juxta.* & seqq. *Prob. 2.* Clerici juxta omnes obligantur superflua expendere ad usus pios teste *Lug. n. 9.* sed non purè ex lege Ecclesiasticâ, aliàs enim Ecclesia posset in hâc lege sua dispensare, quod plerique adversarii negant, & foret contra mentem fundatorum, neque ex virtute Charitatis, ut quidam volunt, quia charitas non obligat ad eleëmofynam, nisi quando est proximi necessitas, quæ non semper adest; neque ex virtute religionis, quia ista bona superflua non sunt magis sacra, & Deo dicata, quàm bona necessaria, ergo obligantur ex justitiâ cum onere restituendi, si superflua in usus non pios impendant.

Dices. 1. Fundatores nec in literis Fundationum, nec alibi expresserunt, quòd darent redditus cum onere expendendi superflua in pauperes, ergo ejusmodi onus seu obligatio justitiæ non est asserenda; sicut si eleëmofynam dem pauperi, eâ intentione, ut eam dividat cum socio, si eam intentionem non exprimam, non obligatur pauper ex justitiâ eam dividere.

2. Clerici omnes suos redditus etiam superfluos accipiunt eodem titulo, scilicet in stipendium officii, vel laboris spiritualis, uti Cantores, Pensionarii, Musici; sicut ergo hi non tenentur superflua in usus pios impendere, sic nec Clerici.

3. Ex Bulla Sixti IV. de Anno 1474. & July III. edita Anno 1550. & Pauli V. de 8. April. 1606. quæ incipit *In Eminentis*, Clericis Romanis, & in Romæ districta ad 10. milliaria habitantibus conceditur libera facultas, de omnibus

reditibus Ecclesiasticis liberè disponendi inter vivos & mortuos, sed hoc Pontifex concedere non posset, si superflua ex naturali obligatione iustitiæ essent eroganda in usus pios, ergo.

R. *Ad 1.* Hoc sufficienter expresserunt hoc ipso, quòd in literis foundationum bona sua voluerunt esse patrimonium Christi, in sustentationem Clericorum & pauperum, vel aliter ad honorem Dei, quod non fit, si impendantur in usus profanos.

Ad 2. N. C. Aliter dat Ecclesia illa bona Cantoribus, Musicis &c. aliter beneficiatis, Cantoribus dat distribuendo in actu exercito ad pios usus, beneficiatis dat, ut ipsi nomine Ecclesiæ tanquam ejus Ministri ea ad usus pios impendant, & ita habet communis fidelium sensus, qui ideo putant peccare beneficiatos, si superflua non convertant in usus pios, non verò Cantores, Musicos.

Ad 3. Et si Papa universaliter sic dispensare non possit, potest tamen in Casu particulari ex causa redundante in bonum spirituale Ecclesiæ, idque ex præsumpto consensu fundatorum; & sic redditus indirectè applicantur ad usus pios ita exigente necessitate Ex dictis

7. *Deduces.* seqq. 1. Clericus potest & tenetur ex bonis Ecclesiasticis alere, & dotare suas proles non tantùm legitimas ante clericatum susceptas, sed etiam spurias, si indigeant; jure enim naturali illis à patre alimenta debentur, si verò à matre habeant sufficientia bona adventitia, vel pater habeat patrimonialia, tunc ex his alendæ & dotandæ sunt *Navarr. Laym. L. 4. t. 2. c. 3. n. 4.*
8. 2. Clericus, si aliunde non habeat, potest & debet debita à se sive in Clericatu, sive antecedenter

ter contracta solvere ex redditibus Ecclesiasticis, quia tunc censetur pauper, solvere autem pauperi debita, est opus pium, imò si debita contracta sint tempore Clericatus ad necessariam sustentationem vitæ, vel causam piam, potest ea solvere ex redditibus superfluis, quamvis etiam habeat alios redditus ex patrimonio. *Ratio est*, quia potest redditus superfluos impendere ad necessariam suæ sustentationem præteritam & præsentem; sic enim sunt potiùs redditus necessarii, quàm superflui; item potest eos impendere ad causam piam, solvere autem debita in favorem Causæ piæ contracta, est virtualiter eos impendere ad Causam piam, ergo. Si Clericus tempore Clericatus contraxisset debita non pro necessaria sustentatione, neque ob causam piam, sed propter excessum in alimentis, lulu, vestibus, recreationibus, tenetur ea solvere ex patrimonialibus, aut proprio labore acquisitis, vel si talia non habeat, debet parcius vivere, servato tamen statu, ut paulatim tantùm de sustentatione ordinariâ subtrahat, quantum sufficit ad solvenda debita. *Ratio est*. Quia talia debita culpabiliter contraxit, & potest sine mutatione Status sibi aliquid ex ordinariâ & honestâ sustentatione subtrahere, cùm hæc non consistat in indivisibili, sed habeat summum, medium, & infimum, ut si summi sumptus pro annuo victu sint 400, medii sint 350, parcissimi & infimi 300, poterit sibi 100. vel 50. & plures omni anno salvâ honestâ sustentatione subtrahere, & unâ cum reliquis, quæ supersunt, applicare in usum pium.

3. Bona patrimonialia aut quasi patrimonialia, 10. & ea quæ sibi per parsimoniam ex necessariis subtraxit, potest expendere ad usus profanos vel dare cognatis quibuscunque, etiam non indigentibus,

S 3

cósque

eosque ditare citra peccatum iniustitiæ, ex superfluis autem potest tantum alere in studiis eos, qui vel parentes non possunt, vel nolunt in studiis sustentare, aut promovere; nec potest ditare aut plus dare, quam ad conditionem, & Statum decentiam indigent; quia aliàs non erit usus pius, ad quem superflui reditus impendi debent, ut omnes teste *Reiffenst.* n. 72.

11. 4. Reditus superfluos impendere in ornamentum Ecclesiæ aliàs satis ornata, adhuc est usus pius, quamvis id fiat ex malo fine scilicet vanæ gloriæ, ideoque nec peccatur contra iustitiam, nec contra religionem; neque facit ad rem, quod fortè prætereantur Ecclesiæ magis indigentes, nisi Clericus in his esset beneficiatus; tunc enim cæteris paribus saltem ex æquitate, imò juxta *Lug. l. c.* ex obligatione, Ecclesiæ suæ præ aliis ex superfluis subvenire deberet.
12. 5. Clericus habens plura patrimonialia potest ex iis splendidius vivere, non verò ex proventibus Ecclesiasticis, quia in his est cæteris par. *Nec obstat*: Quod fortè sit doctior, nam per hoc non est constitutus in altiore dignitate, aut gradu: quod si esset nobilis parentelæ, imbecillis, & debilis complexionis, aut deberet plura in medicos profundero, posset servato moderamine sibi plus in sustentationem attribuere, quam cæteri robusti, & validi, saltem si aliunde non habeat; quia hæc respectu ipsius non superflua, sed necessaria sunt.
13. 6. Clericus ex proventibus Ecclesiasticis etiam superfluis licitè emit prædia, si ea detineat in usus pios, secus, si ea donet amicis non indigentibus, donatio tamen est valida, quia donans est verè Dominus superfluum, quamvis cum obligatio-

ne, ea applicandi ad usus pios, nec tenentur donatarii donata reddere; si tamen malâ fide acceptâssent, scientes donantem non habere alia bona, quæ in eorum locum impendat ad Causas pias, possent per judicem cogi ad restitutionem, quia acceptârunt ea in præjudicium causæ piæ, cui ista prædia debebantur, sicut ii, qui aliqua acceptant in fraudem creditorum: Clericus verò, qui ex redditibus superfluis aliquid impendit in usus profanos, debet tantundem sumere ex redditibus patrimonialibus, illudque applicare ad causas pias, etiam juxta eos, qui negant, eum obligari ad restitutionem. *Ratio est*, quia cùm habeat patrimonialia, adhuc potest satisfacere menti fundatorum, & profundendo Ecclesiasticos redditus pepercit patrimonialibus *Filliut. Azor. sup. Lugo. n. 43.*

14.

7. Quamvis quòad bona superflua Clericorum requiratur multò major materia ad peccatum mortale, quàm in furto, tamen vigesima pars, si proventus superflui excedant 100. florenos, communiter reputatur materia gravis, ita ut, si 5. vel 6. floreni tunc usui profano impendantur, peccetur mortaliter. *Sporer. sup.*

8. Quamvis Clericus in vitâ de redditibus superfluis ad causas pias disponere possit, non tamen potest de iis testari, nequidem ad causas pias sine licentia summi Pontificis, Episcopi, vel Capituli, nisi consuetudo sit contraria, quæ si rationabilis sit, contra legem Ecclesiasticam prævalere potest; sed debet post mortem ea relinquere Ecclesiæ, à quâ accepit C. 1. c. *ad hoc 8. c. quia nos 9. de testam.* imò *Navarr. Vasq. Tanner Molin. 147. n. 31. Laym. sup. Abbas Pyrrh. l. 3. n. 42. Krimer. n. 2142. Engel. n. 3. Reiffenst. ibid. n. 335. Contra Covarruv. Garc. de benef. p. 2. c. 1. n. 16.*

S 4

Loff.

Less. c. 19. n. 43. Zœf. Haun. t. 2. de just. probabilius docent non posse consuetudine introduci, Clerici de redditibus Ecclesiasticis superfluis testari valeant ad Causas profanas, unde improbanda Consuetudinem, quæ in multis locis Germaniæ, & alibi dicitur reperiri, *Ratio est*, quia ejusmodi consuetudo utpote contra legem naturalem, & divinam foret irrationabilis, & corruptela, quæ Clerici superflua in profanos usus convertentes peccant mortaliter contra legem naturalem justitiæ, charitatis, vel religionis, ut fatentur ferè omnes, & in dubio an consuetudo contra legem sit rationabilis, præsumptio est pro lege, ut cum communi docet ipse *Schmalzg. L. 1. tit. 4. n. 8.* ob probabilitatem tamen sententiæ oppositæ ratio quis retinere potest, quod ex tali testamento, vel donatione accepit, usq; dum hujusmodi consuetudo ab Ecclesiâ positivè reprobetur.

C A S U S X X V .

De dominio seu potiùs paupertate
Religiosorum in particulari.

EBorius aspirans ad Religionem ex Confessario petit. 1. *Ad quid ex voto paupertatis obligentur Religiosi; Pralati &c.* 2. *An sint Domini fame, honoris, rerum spiritualium.* 3. *An superiores dare possint licentiam ad superflua, & illicita.* 4. *Qualis Licentia requiratur.* 5. *An sufficiat præsumpta.* 6. *Quæ hic sit materia gravis.* 7. *An complacens sibi in divitiis peccet contra paupertatem.* 8. *An sufficiat Licentia dolo, vel metu obtenta.*

tenta. 9. *Vel data à superiore inferiore contraprohibitionem superioris.* 10. *Quid de manufactis, vel scriptis.* 11. *Quid si res occultetur.* 12. *Vel recipiantur plures res modica.* 13. *Vel convertantur ad alium usum, vel concedantur alteri.* 14. *Vel acceptetur res cum animo eam dandi pauperibus, vel lectâ Missâ amico remittatur stipendium.* 15. *Vel deponatur apud tertium, aut sine Licentiâ quis prandeat alibi.* 16. *An Religioso concedi possit peculium.* Proresolut.

QUÆR. I. Ad quid Religiosi obligentur ex i. voto paupertatis?

R. Omnes & singuli Religiosi solenniter professi per votum paupertatis à se in perpetuum abdicârunt, non tantùm omne rei temporalis dominium, sed & usum, ac dispositionem independentem à voluntate superioris, ita ut nec validè, nec licitè de re temporali sine consensu superioris disponere possint, ita quòd ad rem omnes, & clarum est tum ex *Trid. Sess. 25. c. 2. de regul.* tum ex *jure Can. C. 12. q. 1. C. super. c. cum ad Monast. de statu Monach.* ubi adjungitur pœna: *quod si proprietas apud quenquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.*

Dicitur. I. Omnes & singuli, ita ut etiam ipsi Prælati, Procuratores, Oeconomi, Administratores &c. si rem quamcunque sive domestico sive extraneo largiantur, aut expendant aliter, quàm ordinis Statuta, consuetudo, aut voluntas superiorum postulat, peccent contra justitiam, & paupertatem; & si ejusmodi donatio vel alienatio sit vana, superflua, aut damnosa; est ipso jure irrita, & restitutioni obnoxia; quia Prælati non

sunt bonorum communium Domini, sed Administratores c. 2. de donat.

Dicitur 2dò. : Solenniter professi, nam aliqui Religiosi S. J. qui tantum simplex paupertatis votum emittunt, retinent dominium radicale, in ut propter tale votum non possint quidem similitudinem Superiorum de suis disponere licite; probabilius tamen possint valide, ut contra *Molin*, docet *Sancti*, L. 7. moral. c. 18. q. 2.

2. Dicitur 3. Omnis rei temporalis, hoc est pretio, vel pecuniâ æstimabilis; nam Religiosi retinent dominium, & jus in famam, & honorem. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. item jura spiritualia eligendi, præsentandi, conferendi, beneficia possidendi, à censuris absolvendi &c. & ad talia jura acquirenda, retinenda, vel recuperanda nomine suo agere non prohibentur. *Navarr. Less. L. 2. c. 4. dub. 5.* intellige ex voto paupertatis; nam in his contra votum obedientiæ graviter peccari possent.

3. Dicitur 4. Omnem usum, & dispositionem à voluntate seu consensu superiorum independentem; nam cum consensu superiorum non prohibentur Religiosi de temporalibus disponere, modo dispositio non sit ad usus superfluos, aut statum paupertatis dedecentes, aut à regula, & consuetudine ordinis non permittos, sicut enim ad similes usus ipse superior licite disponere non potest, sic nec suis disponendi licentiam concedere. *Mirand. Pelliz. Hyacinth. Donatus to. 4. tr. 13. q. 10. Reiffenst. l. 3. decret. tit. 35.* ubi dicit in hoc omnes convenire, & quamvis probabile sit, quod docet *Lugo d. 3. n. 137.* licentiam datam ad usus superfluos, & illicitos esse validam, & ideo Religiosum non peccare contra paupertatem, modo non excedat statum pauperis; attamen id tantum

tunc verum iudico, quando ipsa religio, quæ rerum communium domina est, ob bonum commune, & conservationem famæ superioris, vel subditi censetur consentire; & ex hoc capite valet emptio, quâ Religiosus cum licentia superioris emit, vel acceptat superflua; magna enim in publico oriretur confusio, si ejusmodi pretium, vel res cum consensu Superioris Monasterio jam acquisita deberet restitui.

QUÆR. II. Qualiter religiosus peccet contra votum paupertatis?

R. Toties peccat contra hoc votum, quoties rem aliquam pretio estimabilem, sive ex bonis Monasterii, sive aliunde acceptam, absomit, retinet, occultat, permutat, sine expresso, tacito, vel prudenter præsumpto superioris consensu. Ecce regulam generalem ab omnibus approbatam, quam infra ad Casus particulares applicabimus.

Consensus *expressus* vocatur, qui verbis, scripto vel alio signo manifestè exprimitur, *tacitus* est tolerantia Superioris, cum scilicet videt aliqua à suis accipi, expendi, absumi, & cum possit, non contradicit, aut religiosum sine viatico mittit ad studia, balnea &c. Hoc ipso tacitè, vel implicite dat licentiam accipiendi, & expendendi ad hoc necessaria. Consensus *præsumptus* est, quem prudenter mihi persuadeo Superiorem daturum, si rogaretur, vel sciret, talem rem à me absumi, recipi, vel expendi, qui tamen consensus præsertim in rebus alicujus momenti locum non habet, nisi urgeat necessitas, & Superior adiri non possit; si enim præsumpta licentia semper sufficeret, Superior pro licentia nunquam esset rogandus, quod manifestè repugnat disciplinæ regulari; vel enim Superior prudenter creditur licenti-

centi-

centiam daturus, si rogaretur, & jam tum habetur licentia præsumpta, ideoque non erit opus eam rogare; vel creditur non daturus, & stulte rogatur; si tamen Superior moraliter certò sciat non esse invitus, quòd ad rem ipsam, eò quòd rogatus illam facillè concederet, etsi aliquantulum ægrè ferat, non peti licentiam, talis usus non excedet peccatum veniale, ut cum communiore docet *Laym l. 5. t. 5. c. 6. n. 4.* in dubio, an Superior consentiat, semper est interrogandus, si possit, fatendum tamen est, Superiores magis esse invitos, si subditi sine licentia sibi usurpent res Monasterii, quàm si res aliunde datas, quia magis damnificatur Monasterium. *Nec obstat*: Quòd res aliunde religiosis oblatae, & acceptatae Monasterio pereant, nam quamvis hoc sit, quia tamen illæ res dantur intuitu religiosorum, & alias Monasterio sunt indebitæ, earum jactura tanti non fit, quanti earum, quæ Monasterio ex propria industriâ, vel fundis obveniunt. Hinc etiam major requiritur materia ad peccatum mortale in usu extraneorum, quàm in usu Monasterialium; cæterùm in materia paupertatis ex communi sententia loquendum est, sicut in materiâ furti, ideoque Regula S. Augustini dicit proprietarios *furti judicio esse condemnandos*; sicut autem in furto filii familias, ad mortale requiritur materia major, ut dicam *Cas. 31. n. 3.* quàm in furto extranei, quia pater respectu filii familias est minùs invitus, sic in usurpatione, vel furto religiosi, non quòd religiosus per omnia æquiparandus veniat filio, cui pater etiam superflua permittere potest, sed quòd respectu religiosi major materia requiratur, quàm respectu extranei, quia Superior est minùs invi-

invitus, si religiosus, quàm si extraneus res Monasterii auferat, vel absumat.

Si dicas 1. Superior ob bonum disciplinæ religiosæ tenetur esse magis invitus respectu religiosi, quàm pater respectu filii. 2. Inde oritur nimia conscientiarum laxitas. 3. Superior tenetur esse magis invitus, ut religiosus peccet, cum ejus peccatum ex officio teneatur impedire, & corrigere, quàm si extraneus. *Ad 1. m. R. 1.* Concedi posse totum. *R. 2.* Id verum esse si nimia conscientiarum laxitas, & disciplinæ aliter non conservabilis necessitas id exigat; id autem non tenet regulariter. *Ad 2.* Ex opposito oritur nimia conscientiarum restrictio, & pariter dicam, conscientiam filii nimium relaxari, si sciat patrem respectu sui esse minus invitum, item peccatum filii magis debet displicere magisque corrigi, & impediri à patre, quàm peccatum extranei, ergo pater magis tenebitur esse invitus in furto respectu filii, quàm extranei, per consequens minor materia requiretur ad grave furtum filii, quàm alterius, quod nemo admittit; dico ergo, Superiorem & patrem debere esse magis invitos quòd ad modum, & rationem peccati, quod à suis fit, & ab ipsis corrigi debet, non autem quòd ad rem ipsam. Ex dictis.

Duces seqq. 1. Religiosus complacens sibi in 7. divitiis prioris vitæ, aut dolens, se eas reliquisse absque affectu, vel desiderio aliquid habendi, vel usurpandi independenter à voluntate Superiorum, non peccat propriè contra votum paupertatis, sicut non peccat contra votum castitatis, qui dolet, se castitatem vovisse; ejusmodi tamen affectus multum adversatur perfectioni religiosæ, & ad minimum est veniale otiositatis, vel sensualitatis, & ple-

plerumq; signum animi, dignitatem ac gratiam suæ vocationis, non agnoscentis.

8. 2. Licentia dolo, putà falsum allegando, vel verum reticendo, obtenta, est invalida; neque à peccato proprietatis excusat Superioris tolerantia, vel consuetudo, quàm Superior difficulter v. g. sine pacis turbatione, querelâ, & murmure tollere non potest; tunc enim Superior non consentit, sed purè permittit. Licentia metu vel importunis precibus extorta est quidem valida, utpote simpliciter voluntaria, attamen est contra perfectionem obedientiæ, quia non tam subieci subditi voluntatem Superiori, quàm voluntatem Superioris subdito: Superior dans licentiam in genere, intelligitur eam dare tantùm ad usus licitos, non superfluos; si tamen usus in se non sit superfluus, etsi ex circumstantia fiat illicitus, non repugnat paupertati, ut si religiosus ex pecuniis ad honestam recreationem concessis biberet cum scandalo in tabernâ publicâ, quia talis magis peccat quòad modum quàm quòad rei substantiam, quod *Laym. hic n. 14.* etiam dicit de eo, qui biberet ad ebrietatem; quod non videtur admittendum, ille enim usus verè est superfluus, sufficit enim religioso ad recreationem potus moderatus, neq; ultra se extendit voluntas Superiorum & statutorum, quæ ebrietatem severissimè prohibent.
9. 3. Si Superior antecedens dedit licentiam, valet, etiamsi ab officio discesserit: item valet licentia data à Prælato inferiore contra prohibitionem Superioris, vel statutorum ordinis, nisi addita sit clausula irritans, quia Prælato inferiori per hoc non est sublata potestas ordinaria, & multa sunt prohibita, quæ tamen sunt valida *La Croix l. 4. n. 115.*

4. Religiosus sine licentiâ aliquid exponens non tantum peccat contra paupertatem, sed tenetur ipsam rem repetere, si in se, vel in æquivalenti adhuc existat, quia res mansit sub dominio Monasterii.

5. Si religiosus sine licentiâ donet amico picturem à se factam, vel donet librum pretiosum v. g. choralem à se conscriptum; peccat contra paupertatem, quia licet religiosus sit Dominus proprii laboris & artis, tamen illud, quod labore & arte acquirit, cedit Monasterio, nisi amicus subministraverit materiam, & ipse nomine amici operatus fuerit, tunc enim, quamvis peccare possit contra obedientiam, si nempe id faciat contra prohibitionem Superioris, non tamen contra paupertatem; idem est de donatione reliquiarum, precum, missarum remissione, vel resignatione beneficii &c. quorum religiosus quidem est Dominus, attamen inobedienciæ crimen admittit, si de iis contra voluntatem Superiorum disponat: conceptus, notationes, compositiones proprio studio in chartam coniecta, tanquam partus proprii laboris, & pars, vel potius imago conceptus interni, probabiliter reputantur inter Spiritualia, vel saltem Superiores quodam hæc non solent esse multum inviti.

6. Contra paupertatem peccat, qui res undecunque acceptas, abscondit, vel occultat, ne Superior sciat, auferat, ut de iis pro libitu disponat; imò etiamsi rem cum licentiâ acceptam abscondat, ne Superior eam mutatâ mente tollat, est communis cum *Sporer t. 5. c. 1. num. 64.*

7. Si

12. 7. Si religiosus sine licentiâ plura modica recipiat, vel expendat usque ad materiam gravem, probabilius peccat mortaliter, quia hæc uniuntur in ratione gravis damni, sicut plura parva furta *Pelliz t. 4. c. 2. n. 30* Ubi excipiuntur modica esculenta, eò quòd in his Superiores non videantur esse inviti quòd substantiam, sed purè quòd ad modum, at si hæc accrescant in grave damnum rei domesticæ, vel regularis disciplinæ, etiam in his Superiores probabilius censerì debent inviti quòd substantiam, maximè si sint minùs benigni, parci, tenaces.
13. 8. Peccant, qui res ad certum usum concessas ad alium usum convertunt, ut si pecunias pro emendis libris, vel vestibus datas, ludendo vel potando absumant; item si libros, vestes, & similia sibi concessa aliis concedant, etiam ad nudum usum, vel permutent, aut accommodent; hic tamen à mortali plerumque excusat materiæ parvitas, nisi materia permutata foret pretiosa, rara, vel conjuncta cum damno Monasterii, tunc enim esset mortale, quia permutatio (idem est de metuo) transfert rei dominium.
14. 9. Si rem ab amico præsentatam, nec tibi, nec Monasterio acceptes, sed intendas eam nomine dantis donare pauperi, vel alteri amico, cui donans jusserit, vel tu donare volueris, aut etiam tibi ipsi applicare, sed petita priùs licentiâ, non peccas contra paupertatem. *Sanch. Lug. d. 2. n. 54. Ratio est,* quia alteri tantùm locas laborem tuum absque hoc, quòd ullam rei commoditatem independentem à voluntate Superiorum desideres.

10. Si amicus tuus à Paulo accepit stipendium, ut legi faciat Missam, potes Missam legere, & stipendium non acceptare, sed remittere, & amicus tuus illud retinere; *Ratio est*, quia non teneris acceptare, sed potes Missam legere gratis, & amicus satisfecit intentioni petentis procurando Missam, ergo potest retinere stipendium illum in finem datum; idem est, si lectâ Missâ ipse suscipias stipendium non animo tibi, vel Monasterio acquirendi, sed nomine offerentis illud expendendi in pauperes, vel amicos, etsi offerens hoc nesciat; quia postquam legendo Missam satisfecisti ejus intentioni, certò de ejus consensu præsumere potes.

11. Si rem tibi præsentatam non acceptes, sed 15 deponi facias apud amicum, ut datâ oportunitate cum licentiâ Prælati eâ utaris, non es probabiliter proprietarius, nec peccas saltem graviter, etsi id facias ideo, quia pro nunc, & ab hoc Superiore non confidis te accepturum veniam, quam speras accipere ex post, vel ab alio; *Ratio est*, quia neque vis habere dominium, neque usum rei à Superiore independentem, hæc tamen arguunt imperfectionem, & animum non satis resignatum, & reverà videris aliquo modo de reistâ disponere, hoc ipso, quòd inscio Superiore eam facias deponi apud amicum.

12. Quamvis ex communissimâ religiosus sine omni licentia comedens, & bibens apud externos peccet contra paupertatem, rarò tamen per hoc peccat mortaliter, quia hæc materia vel censetur levis, vel Superiores, quòad rem ipsam non sunt multùm inviti, cùm nullum damnum inferatur Monasterio.

T

13 Cer.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.

16. 13. Certum est Superiorem religioso non posse
 peculium, vel quamcunque rem concedere irre-
 vocabiliter, hoc enim repugnat voto substantiali
 paupertatis; ideoque professio facta sub conditi-
 one, ut liceat habere proprium, vel alicujus rei
 dispositionem à Superiore independentem, est ipso
 jure nulla *c. Monachi c. cum ad Monasterium de statu
 su Monach.* potest tamen Prælatus concedere pec-
 culium, si per peculium intelligatur res apud Su-
 periores deposita, vel portio quædam pecuniæ
 religiosa ad iter, studia, negotia, vel simili-
 lem honestum usum assignata: item potest religio-
 so imponi administratio villarum, prædiorum,
 aliorumvè bonorum immobilium, non suo sed
 Monasterii nomine, revocabiliter, & sub obli-
 gatione reddendæ rationis; nisi id speciali Ordinis
 statuto prohibeatur: imò jure antiquo poterant eti-
 am concedi bona stabilia ad usum fructum vel usum,
 item pensiones, & redditus annui ex bonis Monas-
 terii vel parentum, quibus religiosi dependentes
 à voluntate Superiorum in-vel extra Monasterium
 sustentarentur, id tamen jure novo videtur correc-
 tum per *Trid. Sess. 25. c. 2. Fagn. in c. 2. de statu
 Monach. Hyacinth. Donat. L. 2. Reiffensf. à n. 5.*
 Quamvis contrariam consuetudinem, si alicubi
 reperiat, non audeat damnare *Laym n. 13.* me-
 ritò admonens Superiores ad abrogandam ejusmo-
 di consuetudinem, modò religiosis aliâ viâ de-
 necessariis provideri possit. S. Congregatio abo-
 minans Monasteria, in quibus perfecta communi-
 tas non servatur, sæpe prohibuit, nè amplius

Novitii, vel Novitiæ ad ejusmodi
 Monasteria recipiantur. Teste

Fagnan. n. 63.

CASUS

CASUS XXVI.

De dominio Communitatis religio-
sæ, & dispositione Superiorum,
Officialium, & Beneficia-
torum.

FAbius Religiosus interrogatur; 1. Cui acquirat
religiosus, apostata, transiens ad aliam religio-
nem aut invalidè professus? 2. Religiosus promotus
in Episcopum, vel Parochum. 3. An Monasterium
succedat in omnia bona professi, etiam emphiteutica
feudalia; 4. An hereditas religioso relicta à Monas-
terio adiri possit ipso invito, vel à religioso repudiari,
& quid si eà conditione sit relicta, ut non ad Monaste-
rium, sed religiosum pertineat. 5. Qualiter bona
Monasterii valeant alienari. 6. An Prælatus repu-
diare possit hereditatem, vel legatum. 7. Quid
circa contractus, vel negligentias Officialium.
Pro resol.

QUÆR. I. Cui religiosus acquirat?

I.

1. Imò. Cùm religiosus sit incapax omnis
dominii, quidquid acquirit, regulariter acquirit
Monasterio c. *Abbat* 18. q. 2. c. *cum ad Monaste-*
rium de stat. Monach. Qui voverunt stabilitatem
in loco, acquirunt illi Monasterio, in quo vota
emiserunt, alii communiter Monasterio, in quo,
non ut hospites, sed ut subditi morantur.

2. Religiosus apostata, vel fugitivus acquirit
Monasterio, quod deseruit, vel illi Ecclesiæ, quæ
eum bonâ fide suscipit, sicut servus lucratur Do-
mino putatio.

T 2

3. Reli-

3. Religiosus ad aliam religionem transiens tempore novitiatus acquirit primo Monasterio ita ut ea, quæ ei tunc ex testamento, legato, &c. obveniunt, aut quæ proprio labore acquirit, sine læsione paupertatis, & iustitiæ secundo Monasterio, vel aliis donare non possit, nisi forent res cuiusvis momenti, has enim ex æquitate putat deberi secundo Monasterio, quod religiosi curam & gubernationem habet. Sed cui acquirit, qui ignorans, est invalidè professus? R. Sibi, & non Monasterio, quia mansit capax domini: nec refert, quòd putarit se acquirere Monasterio, nam est error in substantia, sicut si quis solvat indebitum, vel det dotem Titie Extraneæ, cum putet se dare nepti: quæ tamen acquisivit quæ membrum v. g. ex rebus Fratris defuncti per divisionem cum aliis, illa reddere debet, quia per errorem venit in talem participationem: econtra Monasterium ei restituere debet ea, quæ ab ipso data sunt intuitu professionis, quia error est causa principalis donationis.

2. 4. Religiosus quamvis habeat dominium beneficii, vel dignitatis legitimè acquisitæ, possitque agere ad illa retinenda, vel recuperanda, eadem tamen nec licitè nec validè acquirere potest sine licentiâ Superiorum; quia non habet proprium velle vel nolle; si assumptus ad Cardinalatum, vel Episcopatum aliquid post mortem relinquat, illud cedit Camere Apostolicæ, vel Ecclesiæ Episcopali.

5. Religiosus beneficiatus v. g. Parochus etiam habeat reddituum administrationem, & de iis ad causas pias & sui sustentationem disponere possit, sicut clericus sæcularis, nisi Ordinis statuta, vel consuetudo legitimè introducta aliud præcipiant.

D. Thom.

D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 2. *Navar. Rodr. tit. I. Reg.* 99. q. 34. a. 7. *Less. L. c. 41. dub. 11. Reiffenst. L.* 3. tit. 24. a. n. 47. Attamen mortis causâ de nulla re disponere potest, sed quæ ex redditibus beneficii supersunt, jure communi debentur Ecclesiæ, in qua beneficium habuit.

Dixi 1mo. Ex redditibus beneficii, nam quæ religiosus beneficiatus acquirit, arte, industriâ, juribus stolæ, eleëmofynis, hæreditate, legato, aut ex pensione, vel peculio sibi concesso, ea acquirit Monasterio juxta vulgatam regulam, quidquid acquirit regularis, acquirit Monasterio; idem tenet de fructibus beneficii Monasterio incorporati.

Dixi 2. De jure communi, nam ex consuetudine, vel privilegio, ut in S. Ordine nostro Præmonstratensi, fieri potest, ut religiosus etiam in beneficio non unito, acquirat suo Monasterio *Zypaus L. 3. consul. 1.*

QUÆR. II. Cui cedat hæreditas, vel legatum religioso relicto?

1. Regulariter cedit Monasterio, si illud bonorum in communi sit capax, juxta sequentes explicationes.

1. Si Novitius profiteatur nullâ factâ dispositione, succedit Monasterium. Si Monasterium sit bonorum incapax, veluti Capucinatorum, & Minorum de Observantiâ; succedunt hæredes ab intestato. *Auth. ingressi Cod. de SS. Eccl. & Auth. nunc autem C. de Episc. Less. Azor. Pirh. l. 3. tit. 27. a. n. 33.* Si tamen professus liberos, vel ascendentes habeat, tenetur his relinquere legitimam. *Auth. Si qua mulier Cod. de SS. Eccl. Pirh. n. 35. & seqq.* An verò Monasterium etiam succedat in emphyteutica & feudalia, est incertum, saltem

ea probabilius retinere potest ad vitam religio-
si enim professus mansisset in sæculo, poterat
possidere ad vitam, ergo & jam, quia per profes-
sionem religionis non debet fieri pejoris conditio-
nis. *Eng. lib. 3. tit. 3. n. 37. Reiffen. l. 3. t. 20. n. 101.*
ita tamen ut intra annum à morte profelli
teneatur ea vendere. *Laym. Pirh. tit. 18. n. 53. ibid. Reiffenst. num. 251.*

4. 2. Si religiosus scriptus sit hæres, Monasterium
potest immediatè adire hæreditatem in scio, et
etiam invito religioso. *Abb. Less. Lugo de just. d. 1. n. 94. Pirh. n. 40.* contra plures, qui dicunt,
id fieri debere mediante religioso; *Ratio est:* quia
religiosus per votum paupertatis, & obedientie
omne suum velle circa hæc transtulit in Superiores.
3. Etsi religiosus sine licentiâ Superiorum pos-
sit ex justâ causâ repudiare donum sibi oblatum,
legatum tamen, vel hæreditatem nec validè, nec
licitè, *Ratio est:* voluntas Superiorum, qui vi-
dentur consentire in primum; & non in secundum.
Nav. Lug. L. c. Dicast. L. 2. t. 15. d. 1. n. 228.

4. Si hæreditas eâ lege relinquatur, ut ad reli-
giosum, & non ad Monasterium pertineat, vo-
luntas testatoris ità explicanda est, ut usus, &
commoditas ad religiosum pertineat dependentes
à Prælato, dominium verò ad Monasterium;
Sanch. L. 7. Mor. c. 17. n. 4. Laym. Reiffenst. n. 21.
Ratio est, quia quamvis dispositionem ità interpre-
tari oportet, ut potiùs valeat, quàm non valeat,
ideòque si Prælati consentiat, ut usus & commo-
ditas rei ad religiosum pertineat, valet legatum;
secus corrui; quia non est impleta conditio, nisi
religiosus commoditatem competentem sibi, re-
signet, *Sanch. n. 9.* Si conditio legato adjecta sit
planè impossibilis, ut lego hanc rem religioso et

conditione, ut ipse habeat rei dominium, conditio habetur pro non adjecta, & legatum censetur validum *DD. cit.* nisi constet testatorem huic conditioni voluntatem suam seriò alligasse; v. g. dicendo: volo, ut religiosus habeat rei dominium, non Monasterium, alioquin legatum non valeat. In dubio præsumendum est pro valore actûs.

QUÆR. III. An, & qualiter Monasterium obligetur ex contractu religiosi?

R. I. Monasterium non obligatur contractu religiosi, vel etiam Prælati, quo alienat, aut distrahit immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, ut gemmæ, vasa aurea, nisi adsit justa causa, id est necessitas, evidens utilitas, pietas, vel incommoditas, & servantur solennitates à jure ad alienationem Ecclesiasticam requisitæ, putà tractatus Capitularis, consensus majoris partis Capituli cum subscriptione, nisi consuetudo aliud habeat; nec non consensus Superioris, cui Ecclesia subest, juxta cujusvis Ordinis statuta. Quòd si alienatio facta quidem sit cum debita solennitate, sed Ecclesia proberetur enormiter læsa, competit ei beneficium restitutionis in integrum. *Abbas in c. fraternitatem n. 5. de donat.* nomine autem contractûs alienativi in hâc materia Ecclesiis favorabili, non tantùm venit venditio, permutatio, donatio, transactio super jure, vel re immobili, censûs perpetui, ac vitalitii, & similes, in quibus totum dominium transfertur, sed etiam in quibus simpliciter, vel ad longum tempus transfertur dominium utile; ut feudum, emphyteusis, locatio in longum tempus. *Extr. inter commun. de reb. Eccl. non alien.*

2. Prælati absque consensu Capituli, aliisque solennitatibus, Ecclesiæ obesse potest in juribus

acquirendis. *Abbas & Can. in c. tua de his que sunt*
&c. Ideoque validè repudiat donationem Ecclesie
 suæ oblatam, & assumens Novitium validè renun-
 tiat hæreditati, quæ post ejus professionem, &
 mortem patris Monasterio erat obventura. *Sylv.*
Sanch. l. 7. c. 6. n. 4. Riccius decis. 96. & 99. hæ-
 reditatem verò, & legatum mortuo testatore,
 videtur Prælatus repudiare non posse; eò quòd
 Ecclesia habeat jus ad rem, & ejusmodi juris abdi-
 catio in materia Ecclesiis favorabili censi debet
 prohibita juris Ecclesiastici alienatio; & hæreditas
 ac legatum non tam Prælato, quàm Monasterio
 relinquitur. *Bald. Azor. Ricc. resol. 97. n. 1. Eng.*
lib. 3. decret. tit. 13. n. 9. aut si juxta sententiam
 probabilem *Menochii, Sanch. Pirh. l. 3. t. 13. n. 41.*
 renuntietur; Ecclesia habet beneficium restituti-
 onis in integrum, propter malam Prælati admini-
 strationem, ut cum communi docet idem *Ricc.*
Vasq. Laym. Pirrh. n. 42. Reiffenst. sup. Dicast. n.
237.

7. 3. Alii contractus, qui fiunt à Prælato juxta
 Ordinis constitutiones, vel etiam ab officialibus
 cum expresso, vel tacito Superiorum consensu,
 veluti emptiones, venditiones, permutationes
 rerum mobilium etiam non requisito Capitulo,
 firmi sunt, & validi.

4. Religiosus Superior, vel œconomus non
 tantùm peccat bona Monasterii sine justa causa, vel
 licentia alienando, sed etiam negligenter admi-
 nistrando, & si quæ bona, vel jura ejus culpâ pe-
 reant, tenetur exactiori diligentia neglectum suum,
 quantum potest, compensare, cum ob votum pau-
 pertatis aliam restitutionem facere non possit. Quo-
 liter Monasterium teneatur solvere debita religiosi
 ante professionem contracta, dicam *Cas. 47. n. 21.*

CASUS

CASUS XXVII.

De injustitia & in specie de illegali
circa tributa, gabellas &c.

Gabriel Princeps 1. *Varia tributa exscribit.*
2. *Quaestores sub pretextu insufficientis stipendi tributa augent, & munera extorquent.* 3. *Et quia hac luxu nimio absorpta sunt, perdurante eadem necessitate nova exiguntur.* 4. *Esculentis, & capitibus imponuntur.* 5. *Vectigalia, & contributiones à peregrinis, & Clericis extorquentur.* 6. *Plerique se subducunt, tum quia putant tributa non obligare in conscientia.* 7. *Tum quia est communis persuasio de tributi injustitia, vel saltem est dubium.* 8. *Et ipse Princeps, & Consilarii tributum suspectum habent.* 9. *Nihilominus plerique illud approbant, alii se absentant.* 10. *Exactores non obstante dubio solutionem extorquent.* 11. *Etiam à pauperibus, e contra ab aliis se sinunt corrumpi.* 12. *Defraudantes gabellas, eodem pretio cum aliis merces vendunt, & in his omnibus Confessarius dissimulat.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit injustitia. 1.

2. Injustitia in genere est alieni juris violatio; sicut autem datur triplex justitia: legalis, distributiva, & commutativa; sic & triplex injustitia: prout harum una violatur: de violatione justitiæ distributiæ, & commutativæ dicam in seqq. in præsentî de injustitiâ illegali, quæ committitur in defraudatione tributorum, gabellarum &c. tributum autem in genere significat omne id, quod Princeps vel Magistratus à subditis exigit in ordine ad sustinenda onera communia: pro diversitate

materiae, de qua exigitur, fortitur diversa: nomen impositum mercibus in-vel extra Provinciam vendendis vocatur gabella vel vectigal à vehendo; imponitur fundis, simpla vel contributio; si comestibilibus, licentia, vel accisa pro more regionum; si singulis capitibus, capitatio; si transiuntibus pro conservatione pontis, viae, vel custodiae, pedagium, etc.

QUÆR. II. Quæ conditiones requirantur, ut tributum, vel vectigal sit justum? R. Sequentes.

2. 1. Legitima autoritas imponentis, qualem habent Imperatores, Reges, Principes, Magistratus, in terris alium superiorem non agnoscentes, & alii de horum licentiâ, consuetudine, vel prescriptione: quæstores, telonarii, & similes, si nesciente Principe, vel nova tributa imponant, vel imposita absque legitimâ autoritate augeant, non tantum peccant contra justitiam cum obligatione restitutionis; sed & incurrunt excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, unde merito à Confessariis redarguendi, & seridè hortandi sunt telonarii, præfecti, & similes officiantes, qui sub prætextu extraordinarii laboris, insufficientis stipendii &c. incio Principe certas sibi pensiones exigunt, aut munera extorquent.

3. 2. *Requiritur justa causa*, hoc est necessitas, aut magna communis utilitas, vel condigna Principis sustentatio, spectatâ ejus dignitate, statu, & meritis in rempublicam; quod si Princeps tributum diutius continuet, vel plus imponat, quam necessitas exigat, aut ludo, luxu, conviviis aliterve inuiciliter absumat; tenetur damnum illarum refarcire, tantundem solvendo ex suis in subsidium communitatis; aut si ex suis non habeat, tenetur parcius vivendo tantundem congerere, quan-

quantum sufficit ad reparandum damnum, servato tamen statu suæ dignitati congruo; quòd si periculum sit in morâ, & tributa malè absumpta pronunc à Principe compensari nequeant; tenebitur populus nihilominùs contribuere, sic exigente bono communi, ita tamen ut Princeps ad meliorem fortunam deveniens pro damno debeat satisfacere.

3. *Debita proportio*; ita ut divites plus contribuant, quàm egeni, & ii magis graventur, quos causa magis concernit, hinc contributiones, quæ esculentis, & aliis ad quotidianum usum necessariis, aut etiam singulis capitibus imponuntur, debent esse moderatæ, ita, ut major pars tributorum sumatur ex fundis & mercibus, aliàs enim pauperes, qui sæpe numerosam habent familiam, si non plùs, saltem æqualiter cum divitibus gravantur.

4. *Ut tributum imponatur solis subditis*; indirectè tamen, & per accidens tributo gravari possunt etiam non subditi v. g. Peregrini & viatores, qui merces in Provinciam invehunt, vel avehunt, qui propterea justè coguntur solvere vectigalia, pedagia; &c. hoc enim pacto illis conceditur jus mercimonii, & jus transitûs. Item Clerici hoc ipso, quòd vino, frumento, oleo, & similibus imponantur collectæ, indirectè iis gravantur, quatenus ob impositam collectam ea coguntur carius solvere, directè tamen neque Clerici, neque eorum bona à laicis collectari possunt, quia ab eorum jurisdictione planè sunt exempti. Si verò bona laicorum non sufficerent ad levandam communem necessitatem, possunt Clerici cum licentiâ summi Pontificis aliquid contribuere; imò si agatur de speciali eorum commodo, ut, si aliquorum agri, inter quos etiam sunt Ecclesiastici, alluvione deperdantur, tenentur Clerici cum Laicis æqualibus

bus

bus pro ratâ sumptibus imperum fluvii cohibere idem est de reparatione viæ, fontis, vel pontis illi specialiter proficuum.

6. QUÆR. III. Qualis sit obligatio solvendi tributa? & an defraudantes teneantur ad restitutionem? R. Multi cum *Navarr.* docent legem tributorum, præsertim vectigalium, respectu exterorum esse merè pœnalem, nec obligare in conscientia, alit apud *Moya t. 1. q. 8. n. 6.* fatentur quidem gabellas obligare in conscientia, sed tunc tantùm, quando exiguntur: hæc sententia vera est, ubi sic habet consuetudo, tunc enim accedit tacitus superioris, & populi consensus, & plura ideo exscribuntur: præscindendo autem à consuetudine, probabilius est, tributa deberi in conscientia ex jure naturæ & divino, etiam si non exigantur, *Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; ad Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Ratio est,* quia tributa non debentur ut pœna, sed ex justitia legali, nec non ex tacito pacto, ut Magistratus & Principes suscipiant in se curam populi, econtra populus contribuat ea, quæ pro Principis sustentatione, & bono communi sunt necessaria, ideoque, qui tributa defraudant, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, ita communiior cum *Sporer. t. 5. c. 5. nu. 150.* Si tamen tributum communi famâ & persuasione populi reputetur iniquum, aut non impendi ad communes usus, ut non rarò nunc contingit, non obligare docet *Sylvest. V. gabella 3. q. 3. 29.* maximè si sit noviter impositum. Imò plures, quos citat & sequitur *Sporer nu. 154.* docent tributa non obligare in dubio positivo, quando scilicet est probabilitas pro & contra justitiam tributi, Rationem

dant,

dant, quòd in dubio debiti melior sit conditio debitoris possidentis rem suam, & ei, qui petit, incumbit probatio debiti, atqui subditus hic est debitor, & possidet rem suam, & Princeps non probat sufficienter justitiam tributi, ergo; neque in dubio parendum est superiori quando agitur de interesse ipsius superioris, & de spoliando subdito repossessâ, tunc enim superior in causa propria meritò præsumi debet partialis: hæc sententia verè est probabilis, & tuta in praxi, opposita tamen videtur probabilior, nam in dubio debiti non semper est melior conditio debitoris, quando scilicet pro creditore seu Principe est præsumptio, qui est in possessione potestatis exactivæ, & Princeps cum suis Consiliariis præsumitur de justitia tributi meliùs posse judicare, quàm quilibet privatus, ideòque ipsi parendum est, non enim agit rem suam, sed communem; Nec obstat, quod etiam subditi sint in possessione suæ pecuniæ, nam possessio potestatis exactivæ prævalet sic exigente bono communi, ne quilibet in quolibet dubio vel probabilitate se tributis subducatur.

QUÆR. IV. Quid circa subsidium charitativum? g.
 R. Seqq. 1. Tributo valde affine est subsidium charitativum, quod Episcopi à Clericis exigere solent.

2. Hujusmodi subsidium, ut sit justum, debet esse moderatum, & peti à Clericis Episcopo subjectis ex manifesta & rationabili causa v. g. ad defendendam Ecclesiam contra hostes, ad solvenda gravia debita, aut pro fabricâ Ecclesiæ, pro profectioe ad Concilium. *c. cum Apost. c. conquerente de offic. ord.*

3. Subsidium justum Clerici Episcopo subjecti solvere tenentur, & si nolint, etiam excommunicatio-

cationis censurâ compelli possunt, ut colligitur ex *juribus cit.* & quamvis *DD.* communiter à subsidio eximant Ecclesias regulares, praxis tamen quotidiana in hac Coloniensi, & aliis Diocæsesibus docet contrarium,

4. Generales Ordinum tallias aut subsidia charitativa à suis exigere posse, si aliunde non habeant pro gubernatione ordinis necessaria, docent *Barbos. Pirh. L. 3. t. 39. n. 54. & ibid. Reiffenb. n. 23.*

9. QUÆR. V. Quæ hinc pro praxi sint deducenda? *R.* Seqq. 1. Princeps ut licitè tributum exscribat, debet illi esse saltem probabilius, illud esse justum, quia hic agit ut Judex, qui tenetur sequi probabiliora secundum dicta *Cas. 3. n. 8.* qualiter obligent tributa, & quæ conditiones ad eorum justitiam requirantur, constat ex dictis.

2. Ut etiam Consilarii licitè Principi tributum consulant, aut approbent, debet illis probabilius esse, quod tributum sit justum, quia sic exigit bonum commune, & ipsi tunc sunt quasi iudices inter Principem & subditos, ut dixi *Cas. cit. n. 21.* consulere vel approbare tributum injustum nunquam licet, est enim suadere peccatum: an vero Status, Consilarii, & similes, quorum est tributa approbare, saltem metu gravis mali vel mortis, tributo injusto licitè subscribere valeant, non est planè compertum; probabilius videtur, quod non; quia hoc re ipsa est approbare, ratificare, & confirmare gravissimum alterius peccatum, & injustam subditorum oppressionem, estque reale & nocivum mendacium, nam subscribere est in facto testari, & dicere tributum esse justum, quod tamen scitur esse injustum, ideo enim exigitur subscriptio *V. Cas. 20. n. 19.* imò nec videntur se ab-

se-

sentare posse, tenentur enim ex officio stare pro bono communi, & Principi injustitiam tributi remonstrare & dissuadere, ad hoc enim accipiunt dicatas vel salaria, si tamen ex suâ contradictione nullum sperarent fructum, sed tantum sui odium, & persecutionem; ab aliquibus non improbabili- ter excusantur.

3. Executores tributorum possunt præsumere, ¹⁰ ea esse justa, idèdque licitè ea exigere, quamdiu non adest moralis certitudo de injustitiâ, sicut miles tamdiu potest militare, quamdiu non est certus de injustitiâ belli: *Ratio est*, quòd cujuslibet privati non sit judicare de justitia tributi vel belli, & in dubio, an lex sit justa, obtemperandum sit superiori juxta communem Theologorum.

4. Princeps vel Magistratus injustè agit, si aliquos à tributis eximat totum onus reliquis relinquendo, nisi ejusmodi exemptio fiat ex causa in bonum commune redundante v. g. ob merita in temp. vel factam reipublicæ compensationem.

5. Pauperes qui solvendo tributa se & familiam ¹¹ suam alere non possunt, aut in gravia debita inciderent, excusantur ob impotentiam, & ideo quæstiones possunt ab iis non petere, *Sylv. in resolut. p. 2. r. restitutio Cas. 4.* Econtra si exactores tributa justa non exigant ab iis, qui solvere possunt, vel dissimulant, aut se corrumpi sinunt, peccant tam ipsi, quàm corruptentes contra justitiam cum obligatione restitutionis, quia sunt causa injusta talis damni: si verò tributum sciatur esse injustum, possum corrumpere exactorem, ut mecum dissimulet, sicut possum latroni offerre partem pecuniæ, ut non tollat totam, hoc enim est redimere injustam vexam.

6. Qui

6. Qui defraudavit gabellas, non tenetur propterea merces infra commune pretium vendere, quia pretium taxandum est secundum onera quæ communiter omnes subeunt, quamvis unus vel alter ea non subeat.

7. Communiter hic monent Theologi, ut quando non satis constat, quod tributa sint iusta, aut ad bonum commune impendantur, Confessarius ante factum, pœnitentes hortetur, ut solvant, idem enim exigit reipublicæ pax & debita Principi obedientia; post factam autem tributi defraudationem, si pœnitens sibi saltem probabiliter persuadeat tributum esse injustum (ut in tantâ tributorum multitudine hodie dum facile contingit) ad compensationem non facile eum condemnet.

C A S U S XXVIII.

De Injustitiâ distributiva.

HAbius petit 1. *Quid sit acceptio personarum.* 2. *An ad beneficia Ecclesiastica sub mortali sit eligendus dignior.* 3. *An ad officia secularia.* 4. *An liceat aliquid promittere pro beneficiis.* 5. *An vendere officia, vel aliquid accipere, ut inter æquales dignos unus præferatur.* 6. *An liceat officia dare cognatis.* Pro resol.

- I. **QUÆR. I.** Quid circa injustitiam distributivam. &c. 1. Injustitia distributiva consistit in acceptio personarum, quâ in distributione bonorum communium, in collatione beneficiorum, officiorum, in judiciis, in honoris exhibitione attenditur non ad merita personæ, & utilitatem communem, sed ad circumstantias impertinen-

tes, v. g. consanguinitatem, amicitiam, potentiam, munera, &c. hoc vitium est ex genere suo mortale, adversatur enim bono communi, & prohibetur *Eccl. 42. ne accipias personam, ut delinquas.* Jacobi 2. *si autem personas accipitis, peccatum operamini.* Dixi bonorum communium, id est ad communitatem pertinentium, nam acceptio personarum locum non habet in bonis propriis; hæc enim cuilibet pro libitu dari possunt, cum uni non magis debeantur, quam alteri; aliàs enim Deus esset acceptor personarum, quando peccatoribus maximè indignis suas dat gratias.

2. Peccat mortaliter non tantum is, qui ad 2^a beneficia Ecclesiastica assumit, vel promovet indignum, sed etiam, qui relicto notabiliter digniore præficit dignum, est communissima cum *D. Th. 2. 2. q. 63. a. 2.* & quoad beneficia majora curam animarum habentia velut Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Decanatus, Parochias, nunc omnino certa ex *Trid. Sess. 24. c. 1. de reform.* ubi dicit *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Idem magis confirmat propositio 47, ab Innoc. XI. damnata, quæ sic habet: *cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo propositivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non ve-*

V

rò

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

rò dignos : vel tandem loquitur 3tiò, quando si concursus. Quòad beneficia minora, & simplicia etiam communis est sententia, ea sub peccato conferenda esse dignioribus, & ratio est eadem, quia id exigit bonum commune, & fidelitas eligentis, vel conferentis beneficium; electio tamen, vel præsentatio digni relicto digniore est valida, ut dicam *Cas. 80. n. 20.*

3. 3. Ex eadem ratione dignitates, munia, & officia sæcularia dignioribus sub peccato conferenda sunt, cum enim hujusmodi officia non spectent ad Principem, vel collatorem, sed ad communitatem, cujus ipsi sunt Administratores, peccant contra officium, & fidelitatem communitati debitam, conferendo ea minùs digno, si dignior commodè haberi possit; sicut contra fidelitatem, & justitiam peccat Oeconomus, qui relicto eo servo, qui potest annuè lucrari 100. conducit eum, qui potest tantum lucrari 50. conferens beneficium vel officium indigno, vel ei, qui creditur illud malè administraturus, tenetur ad omne damnum reipubl. vel Ecclesiæ inde obveniens; ad nihil autem tenetur digno, vel digniori prætermisso; quia ante actualem collationem, vel præsentationem nullum habent jus rigorosum, sed tantum majorem dignitatem ad officium vel beneficium; dignior autem hìc dicitur non præcisè, qui doctior, sanctior, vel nobilior est, sed qui consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, incolarum, &c. communitati, vel Ecclesiæ, cui præficitur, creditur fore utilior; idèoque si Ecclesia vel respublica indigeat defensore contra hostes, cæteris paribus potentior eligendus erit utpote dignior? si agatur de conservanda inter cives pace, inter dignos dignior erit, qui

magis à populo diligitur; si ad necessitatem publicam vendantur officia, dignior reputatur, qui inter æquales plus obtulerit.

QUÆR. II. Quæ hinc inferenda pro praxi? 4.

R. Seqq. 1. Dare, vel promittere pecuniam, vel quodeunque pretio æstimabile in ordine ad impetrandum sibi, vel suis beneficium Ecclesiasticum, est simonia jure divino & naturali prohibita, & omnis provisio ex tali promissione facta est ipso jure nulla, ut ex professo dicam Cas. 66.

2. Officia sæcularia vendi possunt, si concurrant hæc quatuor: 1. Supremi Principis auctoritas. 2. Capacitas seu dignitas ementis. 3. Pretium moderatum, ut emens ad recuperandas expensas non cogatur abuti officio. 4. Utilitas communis. Sed quid si Princeps Ministro det potestatem inter æquè dignos eligendi, quem voluerit, an possit accipere pecuniam, ut hunc eligat præ illo? R. Posse, nisi Princeps, vel lex illud prohibeat, quia unus non habet majus jus, quàm alter, & Ratio est, quia eligere hunc præ alio æquè digno, est pretio æstimabile, & in liberâ potestate eligentis constitutum, ergo pro eo potest accipi pecunia: neque fit injuria reipublicæ, quia confertur æquè digno, nec dignior haberi potest, ut suppono; neque fit injuria offerenti pecuniam, quia hic recipit rem pecuniâ æstimabilem.

Dices 1. Neque Princeps, neque ejus Minister est Dominus officiorum, sed tota communitas, ergo Minister pro tali officio non potest acceptare pecuniam sine consensu communitatis, venderet enim rem alienam sine consensu Domini.

V 2

2. Est

2. Est acceptio personarum, quia unus profertur alteri ob circumstantiam ad bonum commune & capacitatem personæ impertinentem, scilicet ob pecuniam.

3. Ut officia licitè vendantur, debent vendi pro interesse publico, non privato.

4. Sunt multæ leges id prohibentes, quas adducit *Sanch. L. 2. conf. c. 1. dub. § 6.*

R. *Ad 1.* Minister non est quidem Dominus officii, est tamen Dominus suæ electionis, & hæc est pretio digna, adestque consensus saltem præsumptus Principis, & communitatis, cui per talem acceptationem nullum fit præjudicium.

Ad 2. N. Ass. Acceptio personarum tantum locum habet, quando ob causam impertinentem præteritur dignus vel dignior.

Ad 3. Ut Officia promiscuè & nomine communitatis vendantur, debet pretium cedere ad interesse publicum, non autem semper.

Ad 4. Illæ leges vel non sunt usu receptæ, vel loquuntur de distributione pecuniæ ex justitiâ debitæ, vel alterius æquivalentis, non verò de distributione officiorum *Lugo de just. d. 34. num. 35. cujus disparitatem dabo Cas. § 5. n. 18.*

6. 3. Magistratus, Governatores &c. gravissimè peccant, si officia communia faciant quasi hæreditaria, pleraque conferendo suis ag - vel cognatis non sine periculo turbarum & seditionum: tunc enim consanguinei, quamvis aliòquin scientiâ, & virtutibus cæteris pares, vel etiam superiores, minùs forent digni, quia pro conservanda communi pace minùs utiles.

4. Si exorta seditio aliter componi non possit, quàm submovendo priores officiantes, hæc non tantùm licitè amoveri possunt, sed & de

benè sic exigente bono communi, fructus tamen percepti, vel commeriti illis relinqui debent, uti & restitui pretium ex communi ærario, si officia illis pro bono communi vendita fuerint, possentque in tali casu illis substitui à plebe postulati, etsi sint minùs digni, vel etiam inhabiles, eâ tamen conditione, ut intra breve tempus se qualificent, vel redditâ reipublicæ pace officia dignioribus cedant. Ratio horum est conservatio vel restitutio pacis publicæ.

C A S U S XXIX.

De Furto.

Jason Neo - Theologus examinatur 1. Quid sit furtum. 2. Quotuplex. 3. Quale peccatum. 4. Quæ sit materia gravis 5. 6. 7. 8. Qualiter solvantur contraria. 9. An furtis assueti peccent mortaliter furando rem levem. 10. An plura furtiva levia faciunt unum grave. 11. An post illatum grave damnum quid leve auferens semper peccet mortaliter, & quid si à diversis modica auferat. 12. 13. Quid si plures quid parùm accipiant communi consilio? 14. Quid si alter ex ablatione rei levis multùm sit contristandus. 15. Quid si plures servi jussu Domini auferant multa modica. 16. Quid si quis inadvertenter complevit materiam gravem. 17. An modica per longa intervalla coalescant? Pro resol.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit furtum? 1.
R. Imò: Furtum est injusta & occulta rei aliena contrectatio, hoc est acceptio, vel detentio Domino rationabiliter invito. Dicitur imò: contrectatio occulta, nam si fiat Domino, vel illo, qui loco Domini rem tenet, præsentem, & reluc-

tante, cum aliquo metu, vel violentia, dicitur rapina, quæ distinctam habet malitiam à furto & violentiam, quam infert. *S. Th. q. 66. a. 4.* Dicitur 2. *rei aliena*, quæ scilicet est sub alterius dominio, vel quasi dominio; unde non tantum admittis furtum, si Petro auferas rem Petri, sed etiam, si eidem auferas rem tuam ipsi in pignus datam, quia pignus est creditori obligatum, & sub eius quasi dominio; dicitur 3. *Domino rationabiliter invito*, hinc furioso volenti occidere licet auferas gladium, item libros hæreticos non habenti facultatem eos retinendi, quia non possunt esse rationabiliter invitati.

2. R. II. Furtum aliud est *simplex* aliud non *simplex*, putà quod præter irationem furti adhuc aliam habet malitiæ speciem, velut rapina, de qua jam dixi; & Sacrilegium, seu furtum rei sacræ, vel rei non sacræ è loco sacro: item furtum aliud dicitur *qualificatum*, quod habet speciale nomen, & pœnam in jure, ut *peculatus* seu furtum rei ad Principem seu fiscum pertinentis; *plagium* quod est furtum hominis liberi, & invitati; *abigeatus* seu abductio pecorum è grege; aliud denique vocatur *manifestum*, in quo scilicet fur præsentem inclamatione, & persecutione cum re furtivâ eodem die apprehenditur antequam eò deveniat, ubi cum furto manere constituerat; aliud *non manifestum*, in quo fur non ita apprehenditur.

3. QUÆR. II. An & quale peccatum sit furtum?
R. Furtum esse peccatum est de fide ex præcepto 7mo decalogi, *non furtum facies*: est autem ex objecto seu genere suo mortale, ita ut manendo intra speciem furti absque hoc, quod adveniat nova species malitiæ v. g. Sacrilegii, vel rapinæ, possit quis peccare mortaliter, ut iterum certum est:

est; directè enim furtum repugnat charitati, iustitiæ, & bono communi: quis enim dicet furantem 100. imperiales non peccare mortaliter? fit autem furtum veniale, vel etiam nullum peccatum: 1. Ratione indeliberationis vel ignorantia, ut si quis vel bonâ fide vel cum levi culpâ ignoret hanc rem esse alienam, vel credit Dominum non esse invitum. 2. Fit veniale ex parvitate materia; quænam autem materia constituat hinc peccatum mortale, vel veniale, non ex solâ quantitate rei ablata estimandum est; sed simul ex circumstantiis personæ ditioris, vel egentioris, damni majoris, vel minoris inde secuti: Recta enim ratio dicit, esse gravius peccatum, auferre solidum pauperi, quàm eundem auferre ditissimo Principi, & ut ait *D. Thom. opusc. de erudiendis Principibus L. 7. c. 8.* in amissione unius gallinæ plùs pauper gravatur, quàm multùm dives gravaretur in mille marcis, & cum in hâc materiâ multùm practicâ Theologi diversissimas ineant vias, aliis nimium rigorosè, aliis nimis laxè materiam gravis furti determinantibus; Hinc

QUÆR. III. Quæ sit materia furti gravis? 4.

R. Esse diversissimas hâc in re Doctorum sententias, quas refert *Dicast. L. 2. t. 2. d. 9. n. 17.* sed his omissis dico: Illa qualitas videtur esse materia gravis, & sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ in unum diem sufficit ad sustentationem hominis, cui res ablata est, per sustentationem autem hinc intelligitur id, quo homo ad victum, amictum, & habitationem pro sola sua persona indiget; quia autem consideratâ cujusvis hominis conditione unus pro sustentatione plus requirit, quàm alter v. g. Rex plus, quàm Princeps, Princeps plus, quàm nobilis, aut mercator, &

hi plus, quàm plebei, hinc etiam major quantitas statuenda est respectu unius, quàm alterius; & in specie respectu Regis, & quorumvis etiam divitissimorum sufficient duo ducati, respectu Principis unus ducatus, respectu nobilis vel mercatoris valde divitis unus imperialis, respectu mediocre divitis medius, respectu rustici una tertia, & quarta pars, respectu pauperis unus solidus; quia hæc videntur respectu horum sufficere pro unius diei sustentatione. *Laym. Lib. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. Spor. t. 5. c. 5. n. 29. La Croix. L. 3. p. 1. à n. 984. Mezger tr. 12. d. 40. a 1. n. 7. & in re consentiunt Angel. V. furtum n. 34. Sylv. q. 2. Lopez. p. 1. c. 92. Vasq. Valent. d. 5. q. 6. Ratio est, quia gravitas furti æstimanda est, tum ex damno illato, tum ex voluntate Domini ægrè ferentis rem sibi auferri, furtum enim est ablatio rei alienæ invito Domino; sed est grave damnum auferre rem æquivalentem sustentationi unius diei, sicut esset grave damnum, aliquem privare uno die victu, amictu, & habitatione, & Dominus quòdã hoc rationabiliter graviterque censetur invitus, daturque ei justa causa gravis tristitiæ, indignationis, ac solvendæ amicitiae, ergo.*

- §. *Objicies* 1. Duo ducati non videntur sufficere pro sustentando Rege uno die, ergo malè statuuntur pro materiâ gravis furti respectu Regis *Conf. 1.* Videtur irrationabile, si Rex propter amissionem duorum ducatorum graviter contristaretur, aut solveret amicitiam. 2. Rex debet potius velle amittere duos ducatos, quàm velle, ut proximus illos accipiendo graviter peccet, ergo non est rationabiliter invitus. *R. Ad 1. N. Ass.* nam loquimur de sustentatione solius personæ seclusa aulæ pompa. *ad 1. § 2. Conf. N. Ass.* Rex meritò indignatur, &

& invitus est etiam quòd ad duos ducatos, si enim tam notabilem summam furari liceat uni, licebit omnibus, quod cedit in gravissimum reipublicæ præjudicium; quòd fur peccet, ipsius malitiæ tribuendum est, nec idèò tenetur quis ei permittere rem suam, & certè si argumentum teneret, nullus quòd qualemcunque quantitatem posset esse invitus, imò quòd res esset notabilior, èd minùs deberet esse invitus, èd enim magis fur peccaret, quid absurdus?

Obicies 2. Solidus pauperis in communi æstimatione non plùs valet, quàm solidus divitis; *Conf. 1.* Pauper non habet majus jus in suum solidum, quàm dives in suum, ergò utriquè fit æqualis injuria, & æquale damnum, & per consequens æquale peccatum contra justitiam, etsi magis peccetur contra charitatem auferendo pauperi; ita *Wiggers, Neesen Henno Sc.* qui pro materia gravis furti, ponunt sustentationem viri honesti pro uno die v. g. duos solidos. *Conf. 2.* Quia, quòd unus sit pauper, alter dives, est conditio furto merè extrinseca, quia furtum essentialiter consistit in ablatione rei alienæ, atq; qui solidum aufert à paupere, non plus accipit de re alienâ, quàm si acciperet à divite, ergo. *Accedit;* quòd aliàs furtum factum pauperi foret alterius speciei, quam furtum factum diviti. Quod videtur absurdum. *R. Ad 1. N. C.* damnum non tantùm judicatur ex valore, quem res ablata habet in æstimatione communi, sed etiam ex utilitate, quam adfert habenti, ergò cum solidus sit pauperi utilior, quàm diviti, cum pro eo possit habere congruam unius diei sustentationem, eum auferendo ei fiet majus damnum, & gravior injuria. *Ad Confirm. 1. R. dist.* pauper non habet majus jus, materialiter *Cono.*

formaliter *Nego.* jus formaliter spectatur secundum utilitatem, & necessitatem habentis, jus autem in unum solidum non est tam utile & necessarium diviti, quàm pauperi; cum per carentiam unius solidi pauper fiat multò miserabilior, quàm dives, ut constat ex q. 2. ideòque per ejus ablationem pauperi fiet major injuria. *Ad Conf. 2. R. diff.* conditio paupertatis est furto materialiter considerato extrinseca *Conc.* formaliter in ratione injurie & damni considerato, *Nego.* Furtum unius solidi à paupere est mortale, à divite solùm veniale, ideòq; distinguuntur specie morali, non autem specie physicâ, in quo nulla est absurditas, ut omnes fateri debent in furto levis & gravis materiæ.

7. *Inst. 1.* Qui homini diviti in famâ detrahit dicendo, v.g. de viro valde honorato, quòd sit fur vel mendax, non minùs, imò plùs peccat, quàm si id dicat de milite, vel alio homine exiguæ famæ, ergò etiam qui furatur diviti, non minùs, imò plùs peccat, quàm si furetur pauperi *R. N. conseq.* argumentum probat pro nobis, nam sicut in detractiõne non debet tantùm attendi, quid dicatur, sed etiam de quo, & cui, ex hoc enim augetur, vel minuitur damnum, sic & in materia furti, & sicut injuria major est de homine honorato dicere, quòd sit mendax, quia majus patitur damnum in famâ, sic major injustitia est furari solidum pauperi, quia majus damnum patitur in fortunâ.
8. *Inst. 2.* Si materia gravis respectu nobilis v.g. sit imperialis, ergò qui furatur imperialem minùs uno obulo, non peccabit mortaliter. *R.* Aliqui concedunt seq. ex eâ ratione, quia si maneat mortale, si desit unus obulus, ergò etiam

mane-

manebit mortale, si desint duo, ergo etiam si tres & sic deinceps, usque dum deveniam ad materiam certò levem, vel ad determinatum obulum, qui necessarius sit ad constituendum mortale. Alii *communius* negant sequelam, quia parvum pro nihilo reputatur, & Dominus moraliter censetur acutè invitus sive unus obulus plùs, sive minùs auferatur, quod non tenet, si desit pars notabilis v. g. una tertia.

QUÆR. IV. An & quando furtum in materia levi fiat peccatum mortale? 9.

R. Id fieri tribus præcipuè modis. 1. Per intentionem furandi, seu injustè acquirendi rem gravem, unde furtis assueti, quamvis rem levem furentur, plerumque tamen peccant mortaliter; quia ordinariè habent intentionem furandi, quantum possunt. Item qui injusto pondere, menfurâ, vel ulnâ intendunt se locupletare, in singulis defraudationibus etiam minimis peccant mortaliter, quia singulæ fiunt ex proposito acquirendi materiam notabilem, idem est de caupone, qui solet modicum aquæ vino admiscere. *Less. de just. L. 2. c. 12. d. 7.*

2. Fit grave per multiplicationem, non quòd 10.
multa furta levia simul sumpta faciant unum peccatum mortale, sed quòd illud furtum, quò ultinò completur materia gravis, sit peccatum mortale; quia conjunctum cum prioribus infert, & complet grave damnum: v. g. à divite ter furatus es solidum, ter peccâsti venialiter; si addas furtum quartum, hoc furtum est mortale, quia jam injuste accipis, & detines medium imperialem, quem suppono esse materiam gravem respectu mediocriter divitis; intellige nisi solidos priùs ablatos jam restitueris, vel

vel

- vel saltem usq; ad materiam levem restituere intendas, tunc enim non uniuntur in ratione gravis damni. *Sotus L. 5. q. 3. n. 3. Vasq. Valent. Salon. 22. q. 66. a. 6. & plures apud Sanch. Dian. Lug. d. 16. à n. 38.* Sed quid si pro nunc non possis tres solidos prius ablatos restituere, & tamen fureris quartum, per quem completur materia gravis? *R.* Si habes voluntatem saltem conditionatam attamen seriam priores solidos restituendi, si aliquando potueris, non peccabis mortaliter, quia nec approbas prius damnum, neque injustè detines materiam gravem, cum velis eam restituere, quando poteris; secùs si hanc voluntatem non habeas. Et hâc ratione conciliantur
11. *DD.* pro & contra sentientes. Quid denique si illato jam gravi damno iterum quid leve fureris ab eodem vel tertio? *R.* Si non habeas animum prius ablata restituendi saltem usque ad materiam levem, & tamen advertas ad hanc obligationem, peccas mortaliter toties quoties; quia vis augere, & de novo retinere materiam notabilem injustè ablatam, sive ab eodem, sive à tertio; si verò non advertas, peccas tantùm venialiter, ut per se patet. Quòd si res parvæ à diversis auferantur, requiritur ad mortale dimidio &, juxta *Lugo* duplo major materia; & ut primùm devenitur ad materiam notabilem, peccatur graviter: quamvis enim nulli fortè in particulari gravis fiat injuria, fit tamen communitati; vel saltem injustè detinetur res aliena notabilis cum gravi obligatione eam restituendi. *Sot. Lop. Salon. Navarr. Sanch. Less. Laym. Lug. L. cit. & plures cum Dicast. n. 64.*
12. 3. Si per leve quid detur causa gravis damni, ut si plures communi consilio, consentiunt, & proba-

probabilius etiam exemplo, se moveant, ut qui-
vis modicum vinum, modicam pecuniam auferat,
paucas uvas decerpit, ita tamen ut simul
sumpta faciant materiam gravem, peccant sin-
guli mortaliter; quia singuli suo consilio vel ex-
emplo influunt moraliter in totum damnum; si
verò invicem se non moveant, non peccant gra-
viter rem levem auferendo, quamvis sciant ab
aliis rem levem vel gravem jam esse ablatam vel
auferendam. *Ratio est*, quia tunc non sunt cau-
sa neque physica neque moralis damni ab aliis
illati, sed tantum illius, quod ipsi inferunt. *Sotus* 4. de just. q. 7. a. 3. *Medina*, Less. l. 2.
c. 12. d. 9. *Salon*. q. 2. a. 7. *Sanch*. l. 7. mor. c.
21. nu. 22. *Lug*. n. 55. *La Croix* n. 1001. *Sed*
dicat: Qui vulnerato infligit leve vulnus, ex
quo moritur; item qui ferè ebrio præbet ulti-
mum haustum ex quo inebriatur, peccat mor-
taliter: ergo etiam qui post levia furtiva per alios
facta superaddit novum, per quod completur
damnum grave. *R. N. C.* mors, & ebrietas
consistunt in indivisibili, puta in privatione vitæ
& rationis, & ante ultimum vulnus (idem est
de ultimo haustu respectu ebrietatis) nequidem
pars mortis exitit, sed tota mors seu vitæ pri-
vatio sequitur post vulnus ultimum; & ideo
quamvis priora vulnera etiam tanquam concou-
sæ disponant ad mortem, tamen tota mors
moraliter tribuitur vulnerationi ultimæ; econ-
tra damnum grave v. g. imperialis ablati non
consistit in indivisibili, neque totum sequitur
ad ultimum furtum, quod suppono esse unius
v. g. solidi, sed major ejus pars jam præcessit,
& causata est per alios absque influxu ultimi
furtivi; & certè si paritas teneret, magis pec-
caret,

carer, qui furatur ultimum solidum, quàm qui furatus est priores septem; suppono enim hos respectu hominis valde divitis esse materiam levem, imperialem verò esse materiam gravem, consequens autem quis admittet?

14. 4. Auferens rem exiguam v. g. florem rarum & singularem, monetam cupream, sed valde antiquam & charam, primos fructus ex arbore speciali affectu expetitos ad honorandos v. g. amicos, vel offerendos Ecclesiæ, ex quorum amissione prævidet, Dominum graviter contristandum, & ità fore invitum, ac si res magni momenti fuisset ablata, peccat mortaliter, non quidem contra justitiam, quia nullum grave damnum infert in rebus fortunæ ut suppono; sed contra charitatem propter gravem tristitiam & molestiam alteri immerito causatam, & si prævideat propterea lapsurum in blasphemias, vindictas, etiam peccat peccato scandali. *Less. Layman, Sporer l. c.*
15. 5. Si plures servi jussu Domini auferant, vel singuli iniquè consumant exiguum quid, quamvis ipsi non peccent mortaliter, si se invicem non excitent, vel moveant; Dominus tamen postquam à servis simul sumptis materia gravis accepta vel consumpta est, peccat mortaliter; quia mandando est causa moralis totius damni.
16. 6. Qui multoties parva, sive ab eodem, sive à diversis auferendo, complevit materiam gravem etiam inadvertenter & absque intentione ditescendi, vel magnam summam acquirendi; tenetur eam sub mortali restituere, etsi non peccaverit mortaliter, quia totum damnum seu omnes partes damni scienter intulit; idque certum est, si res accepta adhuc in se, vel in æqui-

æquivalenti existat; alias enim injustè detineret rem alienam notabilem, ut dicam suo loco.

7. Si per longa intervalla singulis v. g. mensibus modicum quid præsertim à diversis auferatur, id juxta plures non coalescit in unum grave furtum; sed verius est, tandem coalescere: quia manet damnum datum, & obligatio restituendi, & quodquid per vices accedit, auget prius damnum & obligationem restituendi, & materia cum tempore posset fieri valde gravis. Unde Innoc. XI. meritò damnavit prop. 38. *Non tenetur quis sub penâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Requiritur tamen dimidio, vel duplo major materia, prudentis judicio metienda, quia domini ejusmodi furta minùs sentiunt, & minùs sunt invitati. *Tamb. L. 8. t. 2. c. 3. La Croix n. 1011.*

C A S U S XXX.

De Furtis Conjugum.

K Andria materfamilias quærit ex Confessario.

1. *An ipsa, vel domestici aliquid in scio marito surripientes peccent, & qua hic sit materia gravis.* 2. *Ad quem spectet dos, bona paraphernalia, antiphernalia, superlucrata.* 3. *An maritus bona dilapidans, aut uxor surripiciens teneantur ad restitutionem.* 4. *Quid liceat uxori, si maritus sit absens, fatuus, vel non det medicinas, eleemosynas, ornatus muliebres &c.* 5. *Quid si maritus sit dives.* 6. *Quid si maritus rogatus facile consentiret, aut ipsa acquisivit ex parsimonia.* 7. *An excuset larga dos ab uxore allata.* 8. *An marito bona communia vel dotem dilapidante uxor possit*
uti

uti occultâ compensatione, quid si dos casu perca-
 Pro resol.

•I QUÆR. I. Quid circa furta domesticorum in genere?

R. Seqq. Certum est domesticos, id est uxorem, proles, servos, ancillas peccare contra justitiam cum obligatione restitutionis, si maritus, pater, vel hero rationabiliter invito aliqua surripiant; major tamen requiritur materia, ut peccetur mortaliter, quia respectu horum Domini sunt minus inviti, quàm respectu extraneorum, & quidem communiter maritus censetur minus invitus respectu uxoris, cum qua facit unam civiliter personam, quàm pater respectu filii, & pater minus respectu filii, qui est aliquid patris, quàm respectu servi.

2. Quantitas sufficiens ad mortale, ex re ablata & ex circumstantiis judicanda est, minus enim invitus est Dominus dives, liberalis, amicus, quàm avarus, pauper, parum amans; minus invitus, si domestici furentur esculenta, quàm si pecunias; minus, si res sit vulgaris, quàm si rara; minus, si furentur ad proprios usus, quàm ad dandum aliis; minus, si consumant, quàm si vendant &c.

QUÆR. II. Quid circa bona & furta conjugum?

R. 1. Bona conjugum sunt quadruplicia, 1. Est *dos*, seu illud quod uxor dat viro ad sustinenda onera matrimonii; hujus dotis dominium naturale habet uxor, dominium verò civile, seu usumfructum, & administrationem maritus, nisi in dotem detur res mensurata v. g. 100. maldera hordei, vel æstimata v. g. domus assignato ejus valore & pretio, tunc enim maritus fit dotis

Doz

Dominus, eò quòd talis traditio dotis habeat vim emptionis; ideòque omne periculum dotis ad maritum pertinet; ità ut, si dos quomodo-
cunque pereat, maritus soluto matrimonio te-
neatur pretium æstimatum, vel rem mensuratam
in eo valore, quem tempore traditionis habebat,
restituere; quem in finem uxor habet hypothe-
cam privilegiatam præ omnibus creditoribus in
omnia bona mariti.

2. Sunt bona uxoris *paraphernalia* seu pro-
pria, quæ uxor ex hæreditate, legato, aut labo-
re familiæ non debito acquirit; horum domi-
nium, ususfructus, & administratio, nisi con-
suetudo loci aliud habeat, est penes uxorem.

3. Sunt *bona antiphernalialia* seu contradotalia,
quæ maritus assignat in recompensationem dotis;
horum dominium, & administratio est penes ma-
ritum, ususfructus, vel penes uxorem, vel penes
maritum, prout iterum habet consuetudo.

4. Sunt *bona communia* & superlucrata; quæ
quòd ad usum & administrationem spectant ad so-
lum maritum, quòd ad jus autem, & dominium
ex mediâ parte ad uxorem, ità ut maritus ea nota-
biliter dilapidando non tantùm peccet mortaliter,
sed etiam teneatur ad restitutionem; alii tamen
non improbabiler sustinent, superlucrata per-
tinere ad solum maritum, sicut illa ad solam per-
tinent uxorem, quæ ipsa per suam industriam,
aut ex censu paraphernalium lucratur, per
consequens dicunt maritum, si ea dilapidet,
non teneri ad restitutionem, & sic habere
consuetudinem testatur *La Croix L. 3. p. 1. n.*
1020.

X

p. II.

R. D. Jansen, Theol. Moral. Tom. I.

3. *q.* II. Circa furta, & injustitiam inter conjuges tenenda sunt seqq.

1. Maritus si dilapidet vel notabiliter vitiet dotem, vel bona propria uxoris, vel etiam communia, peccat graviter contra justitiam cum obligatione restitutionis. Hinc quamvis maritus è bonis communibus possit aliqua ad honestum ludum exponere: Si tamen id faciat in magna summâ, sapius aut ex consuetudine, vel cum notabili neglectu rei domesticæ, peccat mortaliter; teneturq; ex bonis propriis damnum resarcire; nec obstat, quòd in ludo videatur esse æqualis spes lucrì & jacturæ; nam experientia docet habituales lusores ferè omnes ad mendacitatem redigi, & negotia domestica negligi; ideo uxor meritò est invita: quod bene advertant confessarii, ut habituosos ejusmodi lusores non absolvant, nisi datâ fide, de intermittendo lusu. Similiter si uxor ex bonis, quæ mariti dominio vel administrationi subsunt, ipso rationabiliter invito notabile quid auferat, peccat mortaliter cum obligatione restituendi ex bonis propriis paraphernalibus, si habeat, vel post mortem mariti ejus hæredibus ex dote vel aliunde acquisitis. *Ratio est*: quia maritum injustè privat dominio aut administratione; dixi marito rationabiliter invito, nam si maritus consentiat, aut propter diurnam ejus absentiam, morbum, vel fatuitatem, uxor vel simul, vel sola familiam gubernet, & bona administret; ipsa facere potest honestas donationes, eleëmofynas, & omnes expensas, quas vir gubernans rationabiliter faceret, vel facere deberet; aut si vir in victu, amictu, medicinis, donatiunculis, honestis recreationibus ea irrationabiliter

neget, quæ in simili casu à patribus familias ejusdem conditionis concedi solent, non peccat uxor ea ad illam finem accipiendo; idem est, si maritus opulentus, sed tenax, nullas daret eleemosynas nequidem ordinarias, aut proximis præsertim cognatis in gravi vel extremâ necessitate constitutis non subveniret, illa ejus defectum ex bonis communibus supplere posset, *D. Th. in 4. disp. 15. q. 2. a. 5. March. trib. 2. tit. 4. sect. 2. Sylv. Molin. Less. L. 2. c. 12. dub. 14.* quia ipsa jure divino data est marito non in ancillam, sed in adjutorium, & in defectu mariti ad ipsam spectat gubernare familiam, & maritus non tantum tenetur uxori dare præcisè necessaria ad victum & vestitum, sed etiam quæ pertinent ad honestas recreationes, & decentes eleemosynas, & ita habet consuetudo, quæ uxori jus certum tribuit teste *Dicast. n. 198.* pro pace tamen domesticâ suadendum est uxori, ut in his marito obediat, & marito, ne se nimis rigidum exhibeat &c. Si verò maritus det sufficientes eleemosynas, aut sit tenuis fortunæ, tunc ipsa ex propriis, si habeat, parentibus, fratribus, vel prolibus ex priori thoro subvenire debet, vel si id faciat ex bonis mariti, tenetur ex dote suâ hæredibus mariti, nisi hic remiserit, damnum compensare. *Nav. Less. dub. 18 n. 88.*

2. Quamvis *Dian. p. 2. t. 15. resol. 34.* cum *Bannes* & aliis dicant uxorem divitis singulis annis posse auferre vigesimam partem totius lucri & redditus annui, impendendam in eleemosynas, & honestas donationes, id tamen non videtur admittendum, si maritus sit liberalis in dandis eleemosynis, & concedendis uxori honestis

nestis pro statu donatiunculis, aut si uxor acciperet in ordine ad usus vanos & illicitos; ad hos enim maritus meritò est invitus; & quis dicet maritum etiam divitem annuò v. g. habentem 100. millia, non esse graviter invitum, si uxor ad usus præsertim profanos vel illicitos fureretur annuò 5. millia.

6. 3. Non peccat uxor, si accipiat aliqua, quæ maritus facilè, & certò concederet, si rogaretur, quia adest licentia præsumpta & plerumque justa causa non petendi, ne se ostendat velut ancillam: similiter non tenetur ad restitutionem, si quid iniquè accepit, sed maritus prudenter præsumitur restitutionem condonâsse. *Molin. d. 274. & alii communiter.*

4. Si Maritus bona communia dilapidet, uxor licitè subducit ea, quæ sibi & familiæ prudenter credit fore necessaria, quia bona communia ex mediâ parte ad ipsam spectant, & in defectu mariti ipsius est providere familiæ, *Navarr. Molin. Dicast. nu. 203.*

5. Uxor licitè retinet ea, quæ per parsimoniam reservat ex iis, quæ maritus ei pro vestitu, vel familiæ sustentatione ad certum tempus liberaliùs assignavit, quia reputantur fructus industria *Palud. Nav. Molin. d. 234.*

7. 6. Non excusat uxorem à furto, quòd largam attulerit dotem, nam quamvis propterea ad mortale requiratur major quantitas, eò quòd maritus tunc censeatur minùs invitus, quàm si nullam aut exiguam dotem attulisset; tamen non excusatur à mortali, si ad notabilem materiam pervenerit.

7. Si maritus bona communia vel superlucrata dilapidet, potest, uxor in illis locis, in qui-

quibus saltem per consuetudinem certum jus habet ad medietatem, se per occultam compensationem servare indemnem, multò magis familiæ reponere necessaria; similiter si maritus dotem ab uxore allatam absque spe recuperationis dilapidet vel negligat, potest uxor ex bonis mariti sibi maturè providere de indemnitate; aut si maritus post mortem bona propria relicturus sit, ex iisdem ante omnes creditores petere solutionem dotis, quia de jure habet hypothecam privilegiatam in omnia bona mariti ad assicurandam dotem; si tamen res dotalis non mensurata neque æstimata sine culpâ mariti periisset v. g. domus casu conflagrasset, ad nihilum teneretur maritus, neque ejus hæredes, quia res dotalis tunc mansit sub dominio uxoris, idèdque & huic periit, secus si res dotalis fuerit mensurata v. g. 50. plaustra vini, aut domus certo pretio taxata, tunc enim dominium & periculum rei etiam casuale ex dispositione legum transit ad Maritum.

C A S U S XXXI.

De Furtis Filiorum, Servorum, &c.

Jabin filiusfamilias dubitat 1. *Qualiter disponere possit de bonis castrensibus, quasi castrensibus, adventitiis, profectitiis.* 2. *An & qualiter surripiens aliquid de bonis paternis teneatur restituere, & quid si fratres etiam sint furati, vel pater credatur remissurus, si rogaretur, vel restitutionem non petat.* 3. *Quæ hic sit materia gravis.* 4. *An filio laboranti pro patre debeat salarii.*

rium, & si non detur, occultè compensare possunt.
 5. Quid si servi pecunias, esculenta, &c. surripiant, aliis donent. 6. Labori se subtrahant, agrosent, vel servitium deserant. 7. Fragmenta re elaboranda retineant. 8. Aut aliquid ex pretiis rerum pro Domino emptarum, sub prætectu, quod mercatores remiserint. 9. Vel expensas fecerint.
 Proresolut.

I. QUÆR. I. Quid circa filiosfamilias eorumque bona? R. I. *Filiusfamilias* dicitur, qui est constitutus sub patriâ potestate; *patria potestas* est jus à legibus introductum, quod pater, vel unus ex ejus ascendentibus habet in filium, vel procreatione, vel saltem rescripto Principis legitimum, & in certa ejus bona; sive filius sit naturalis, sive adoptivus in quacunque ætate, donec emancipetur: emancipatio olim fiebat multipliciter, modò censetur filius emancipari per hoc, quòd uxorem ducat, & seorsim habitet.

R. II. Bona, quæ filius habere potest, sunt quadruplicia. 1. *Castrensia*, quæ filius in castris sive ex testamento, donatione, aut legato à commilitonibus factò, sive ex peculio castrensi, aut etiam ex famulatu Regis acquirit.

2. *Quasi castrensia*, quæ quidem in castris non acquiruntur, sed in jure habentur quasi castrensia, qualia sunt, quæ filius acquirit ex officio publico Judicis, Doctoris, Advocati, Syndici, Medici, Prætoris, ex Clericatu, donatione Regis, propriâ parsimoniâ, &c. horum bonorum uti & præcedentium filiusfamilias, si pubes sit, plenum habet dominium & administrationem; ideòque de his pater filio invito disponere non potest; secus si non sit pubes.

3. *Bona adventitia*, quæ filio adveniunt per

artes mechanicas, fortunâ, donatione, hæreditate vel legato ex lineâ maternâ : horum dominium directum est penes filium, dominium utile penes patrem; si tamen res sit usu consumptibilis, ut pecunia, frumentum, &c. tenebitur pater ad restitutionem, si eis utatur, quia filius erat eorum Dominus proprietarius.

4. Bona *profectitia* sunt, quæ filius accipit à patre vel intuitu patris, horum dominium & ususfructus est penes patrem, nisi fortè pater dederit filio aliquid in patrimonium, vel ad suscipiendos S. Ordines,

QUÆR. II. Quid circa furta filiorum familias? *æ.* Seqq. 1. Peccat filius, si patre invito aliquid surripiat ex bonis, quæ sunt sub patris dominio vel administratione, ut certum est ex illo Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, participes homicidæ est;* teneturque restituere ipsam rem ablatam, si adhuc existat, vel æquivalens ex bonis castrensis, vel quasi castrensibus, si habeat, vel si non habeat, deducere in divisionem hæreditatis cum fratribus, nisi fortè & hi similiter sint furati, aut hi, aut pater remittat, vel certò credatur remissurus, si rogaretur, quem præ verecundia rogare non audeat. *Nav. Less. dub. 13. n. 7. Dicast. n. 184.* aut si pater aut fratres sciant, nec satisfactionem petant, censentur condonare *Burghab. cent. 2. Cas. 36.*

2. Pro materiâ necessariâ ad mortale filii, respectu patris valdè divitis & benefici, ab aliquibus non improbabiler statuantur 20. vel 30. aurei, si filius sit unicus, & non impendat ad usus illicitos, aut tales, in quibus pater omnino scitur esse invitus : respectu patris mediocri-

ter divitis 3. vel 4. aurei, ab aliis plus, ab aliis minus, tu prudens Confessarie id non tantum ex re accepta; sed ex facultatibus patris, ejus liberalitate, & affectu in filium, ex liberorum pluralitate, ex accipientis ætate, & usu, dijudicanda, ut conscientiam non nimium laxes, nec temerè scrupulum peccati mortalis injicias.

4. 3. Quamvis possit pater filio in domo paternâ laboranti laborem suum specialiter compensare, absque hoc, quòd aliis filius faciat injuriam, ad hoc tamen non tenetur ex justitia, *Sylv. V. Peculium. l. qu. 22. P. Nav. L. 3. c. 1. n. 76. Moya. t. 6. d. 4. n. 41. Laym. & alii apud ipsos contra Barth. Less. Lopez. Dicast. n. 187. Ratio est*, tum quia opera industrialis filii ex jure & consuetudine debetur patri, tum quia filius à patre habet victum, amictum, instructionem, & curam paternam, neque pater se filio obligavit ex contractu sicut servo conductitio, ergo non est, unde oriatur obligatio justitiæ, multò minus poterit filius ejusmodi laborem sibi occultè compensare, occulta enim compensatio locum non habet, nisi quando debitum est certum, hic autem ad summum est probabile.

5. QUÆR. III. Quid circa furta famulorum, opificum, &c. & Seqq. 1. Certum est & hoc, si invito Domino aliquid notabile furetur, peccare mortaliter cum obligatione restituendi, vel si non habeant, saltem per extraordinariam diligentiam, laborem, & obsequia compensandi; respectu tamen famulorum etiam aliquantò major quantitas requiritur, quàm respectu extraneorum, æstimanda secundum opulentiam, & liberalitatem Domini, ac circumstantias *Cas. prac. n. 1.* insinuat.

2. Multorum est sententia, minuta domesticorum furta in alimentis non coalescere in materiam gravem, eò quòd Domini tantum videantur inviti quòad modum, si domestici ea consumant; si autem extraneis donent, vel vendant, certum est etiam invitos esse quòad materiam; quod semper videtur dicendum, si materia tandem fieret notabilis etiam in esculentis, præsertim pretiosioribus, & extraordinariis, etiamsi ipsimet domestici ea absument, quis enim credat Dominum non esse invitum quòad substantiam, si servus multa pretiosa electuaria, aut etiam mediam vel integram melioris vini amam intra annum furtivè absumeret?

3. Servi sæpiùs partem temporis labori debito subtrahentes, furtum & quidem mortale committunt, quamprimum per ejusmodi negligentiam damnum grave Domino illatum fuerit; an verò famuli, qui ante tempus servitium deserunt, vel ex eo dimittuntur, amittant integrum salarium, & qualiter tempus absentia, vel ægritudinis iis subtrahi possit, dicam *Cas. 57. n. 15.* Item an operam suam pluribus locare possint, *ibid. n. 14.*

4. Famuli, opifices, sartores, textores, molitores, aurifices, furripientes fragmenta, & reliquias materiæ sibi ad elaborandum traditæ peccant, prout supra dictum est de furtis minutis factis eidem vel diversis, nisi forsan fragmenta sint tam exigua, ut Domini non censeantur ea curare, vel tacitè remittere, eò quòd non repetant, cum facillè possint

5. Si mercator sartori, vel famulo pro hero aliquid ementi partem pretii remittat, vel aliquid donet, ut potius à se, quàm ab alio emat, pos-

possunt id, per se loquendo, retinere; si tamen alibi idem minori pretio habere possint, Domino injuriam faciunt, idem est, si rigidius mercando aliquid de communi pretio subtrahant, & sibi retineant. Ratio est, quia non suo, sed nomine committentis emunt, ergo pars de pretio subtracta non ipsis, sed committenti debetur.

9. 6. Si tibi amico, vel famulo committatur, ut alteri frumentum pretio indeterminato, vel determinate tribus aureis emas, tu autem indutius emas duobus & medio, non potes medium aureum tibi retinere, quia liberè & non tuo sed alterius nomine hanc industriam posuisti; si tamen expensas fecisti, ut minoris emereres, v. g. ivisti ad remotiorem urbem, poteris has expensas compensare, saltem ex præsumpto Domini consensu, quia hæ expensæ ei fuerunt utiles, *V. Cas. 41. n. 24.*

C A S U S XXXII.

De Causis à furto excusantibus.

MAbbo varia aufert. 1. Sub pretextu necessitatis gravis, vel quasi extrema. 2. Non obstante, quòd Dominus rei sit in necessitate simili. 3. Aut res sit valde pretiosa ei. 4. Eam habere potuerit, labore, emptione, mutuo, vel simili petitione. 5. Et habeat alibi in re vel in spe. 6. In extremam necessitatem consumit res sibi commodatas, depositas, mutuatas. 7. Excusat se titulo occulta compensationis. 8. Quia alias cogentur famulos dimittere, vel ipse famulari. 9. Quia

aliter liberari non potest à pœnâ carceris, vel capivis.

10. Quia non recepit dignum labori suo stipendium. 11. à suo debitore mutuum accipit animo compensandi, etsi juratò promiserit mutuum reddere. Pro resol.

QUÆR. I. Quæ Causæ excusent à furto ? I.

R. I. Excusat necessitas extrema, quando scilicet est certum periculum amittendæ vitæ vel membri principalis, morbi incurabilis, extremæ infamiæ, vel timetur malum morti æquivalens; non tamen excusat necessitas gravis, quâ non extremum, sed grave malum in corpore, fama, vel fortunâ timetur, ut jam certum est ex Prop. 36. ab Innocentio XI. damnata: *Permissum est furari non solum in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.* Pars prima etiam est communis & certa cum *D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. & q. 32. a. 3. Bannes ibid. dub. 2. Soto. Medin. Valent. d. 3. q. 9. p. 4.* Ratio est, quòd res temporales datæ sint à Deo tanquam media ad conservandam vitam, ergo vitâ periclitante proximus rationabiliter invitus esse non potest, quominus ea tibi illum in finem usurpes; & hoc sensu in extremâ necessitate fiunt omnia communia: divisio enim bonorum jure gentium introducta est: obligatio conservandi vitam est juris naturæ.

Dices: Furari est intrinsecè malum, ergo nulla necessitas potest furtum facere licitum. R. C. totum, necessitas non facit furtum licitum, quia furtum essentialiter sit Domino rationabiliter invito; sed necessitas impedit furtum, quia facit, ut Dominus non possit esse rationabiliter invitus. Idem tenet de necessitate quasi extrema, seu de periculo proximo necessita-

ta-

sitatis extremæ. *Lugo d. 16. n. 154.* & certum esse dicit *Sporer t. 5. n. 103.* Accipe tamen sequentes limitationes.

2. 1. Si possessor rei in simili extremâ necessitate existat, vel per tuam ablationem in eam incideret, non potes rem ejus accipere, quia tunc melior est conditio possidentis; ex eâdem ratione si tu rem alienam v. g. triticum sive banâ sive malâ fide apud te detineas, in extremâ necessitate illud consumere poteris, quamvis Dominus rei sit in eâdem, quia tu possides, & ordo charitatis id exigit, vel saltem permittit. *Less. lib. 2. c. 16. n. 14.*
3. 2. Probabiliùs non licet privato in extremâ necessitate surripere rem valde pretiosam, v. g. tria vel quatuor aureorum millia, maximè si hæc necessaria sint ad conservandum statum Domini, *Lugo à n. 148.* Ratio est, quia Dominus rei tunc rationabiliter est invitus, non enim obligatur ex charitate plùs expendere pro conservandâ vitâ alienâ, quàm propriâ, non tenetur autem conservare vitam propriam per media valde pretiosa, & extraordinaria. *V. Cas. 17. num. 5.*
4. 3. Si rem necessariam habere possis labore, emptione, mutuo, humili petitione, non potes eam furari, quia non est necessitas accipiendi aliena, quando aliquis sibi proprio labore, mutuo vel petitione subvenire potest. Sed quid de homine ignoto aut nato à parentibus vagabundis, ob furta infamatis vel damnatis, si obinde nec in-nec extra patriam laborem nancisci possit (quis enim fidat homini ignoto aut suspecto) an talis licitè sibi necessaria furari, aut econtra justè ob furta suspendi possit? Quid si id

id fecit adhibitâ vi, effractis foribus, aut è rebus Ecclesiæ? Ecce casum quœtidie obvium; & tamen à nemine, quantum scio, satis enodatum.

¶ Igitur; talem teneri militare vel mendicare; non enim hoc est contra conditionem sui statûs; si verò nequeat militare, & mendicando necessaria non obtineat, eò quòd v. g. Princeps ejusmodi vagabundis eleëmofynas dare prohibuerit; necessaria sibi licite surripere poterit; ita tamen, ut si aliter possit, abstineat à rebus sacris, & nemini vim inferat. Neque propterea puniri poterit, quia habet jus ad vitam, & extremè indiget

4. Quid si extremè indigens ex erubescencia nolit petere, an peccet mortaliter rem notabilem auferendo? negant *Less. Sporer n. 18.* Econtra pro certo affirmat *Coning. dis. 27. de char. dub. 10. n. 158.* Sed videtur distinguendum: si auferas à Paulo rem, quam Petrus erat paratus dare, si peteres, peccas mortaliter, quia Paulus meritò est invitus, ut ab illo fureris rem, quam ab alio facili petitione obtinere poteras, secùs si eam fureris à Petro, quia hic quòdam rem supponitur non esse invitus, utpote eam daturus, si rogaretur.

5. Si extremè indigens habeat alibi in re, §. vel saltem in probabili spe, unde solvere possit, non potest rem alienam accipere gratis, sed accipere debet sub onere mutui, seu sub obligatione, transactâ necessitate restituendi, nisi res sit exigua, quam Dominus prudenter credatur concedere gratis; idque certum esse dicit *Lugo n. 170.* quia necessitas non exigit rem dari gratis quando alter habet, unde per mutuum sublevari posset, sicut non obli-

gat

gat ad dandum dominium rei, quando necessitas solouso tolli potest, ut patet, alias enim indiget equo meo ad effugiendam mortem, non tenetur illum cessante periculo reddere: si verò pauper sit re & spe, res vel usus rei dandus est gratis, ut dixi *Cas. 17. à num. 6.*

6. Qui in extremâ necessitate consumit, quod habet ex contractu commodati vel depositi, aut probabiliter etiam ex furto, si tempore consumptionis nihil habeat in re, neque in spe; non tenetur restituere, quod consumpsit, etsi expollet præter spem fiat melioris fortunæ, quia si res mansisset apud Dominum, poterat eam accipere, & consumere absque obligatione restituendi, ergo & existentem apud se; aliud est, si res transisset in accipientis dominium, ut res mutuo accepta, vel furto ablata, sed rei propria mixta; quia tunc manet obligatio prioris contractus, & indigens non consumpsit rem alienam, sed propriam. *Less. sup. n. 9. Dicast. l. 2. de iust. t. 2. d. 19. n. 273.*

Dices cum Sayr. Metzger. obligatio ex contractu commodati, vel depositi aut ex iniusta acceptione v. g. furto, est personalis & coheret personæ etiam re non amplius existente, ergo per necessitatem non extinguitur, sed suspenditur, & qui eam consumpsit, si præter spem ad meliorem fortunam redeat, tenetur eam restituere *R. N. C.* Sicut ex præcepto charitatis in casu posito teneor consumenti gratis donare rem meam, si non sit nimis pretiosa, sic, & teneor remittere obligationem personalem ad rem. Et certè si pro tunc non obliget præceptum eleemosynæ dandi rem gratis, sanè nunquam obligabit. *V. Cas. 17.*

¶ II. A furto excusat occulta *compensatio*, 7.
 quâ creditor ex bonis debitoris clam tollit,
 quantum sibi novit deberi; *S. Thom. q. 66. a.*
3. ad 5. Valent. Lugo d. 16. n. 86. Dicast. n. 89.
Ratio est, quia non peccatur in re, cum res ex
 justitiâ debeatur; neque in modo, dummodo
 serventur sequentes conditiones.

1. Ut id, quod accipitur, sit debitum ex
 justitia, & non tantum ex charitate vel gra-
 titudine.

2. Debitum debet esse certum, & liquidum,
 non autem dubium aut tantum probabile, quia
 tunc melior est conditio possidentis, possessio
 enim est certum jus retinendi; contra quod
 nulla valet probabilitas.

3. Debet viâ juris, aut alio modo sine no-
 tabili damno, vel molestia, aut sine gravi of-
 fensione & inimicitia debitum recuperari non
 posse, defectus hujus conditionis plerumque
 tantum erit veniale, nisi alia incommoda inde
 oriantur. *Dian. to. 1. tr. 2. R. 48.*

4. Debet fieri ex bonis debitoris, non au-
 tem ex re alienâ apud debitorem depositâ,
 vel ad ipsum missâ & nondum acceptatâ; imò
 si debitor apud te ipsum rem tuam deposuil-
 set, non posses tuum debitum ex re deposi-
 tâ compensare in foro externo, *c. bona fides,*
2. de depositis, L. ult. Cod. de depos. potes tamen
 in foro interno, si debitum certum aliâ viâ re-
 cuperari non possit. *Sylv. V. compensatio q. 2.*
Laym. hic c. 9. n. 10. Pirh. L. 3. Decret. tit. 16. n.
11. Reiffenst. ibid. n. 19.

5. Si commodè possit, debet fieri ex rebus ejus-
 dem speciei cum re debitâ, aliàs enim debitor si-
 ne causâ cogetur rem suam permutare.

6. Cavendum est damnum temporale, & spirituale debitoris, hinc moneri debet de extincto debito, tum ne maneat in mala voluntate non solvendi, tum etiam ne ipse vel hæredes ejusdem debitum cogantur bis solvere; hæc tamen monendi obligatio non est ex justitia, quia utitur es jure tuo, sed ex charitate, à qua excusaris, sine læsione amicitiae, famæ, vel alio gravi incommodo monere non possis.

7. Debet caveri damnum proximi habentis fortè jus prælationis in re, in qua fit compensatio.

8. Debet caveri periculum infamiae, ne ipse, vel alius tanquam fur traducatur: nisi fortè gravis vel extrema necessitas excuset, tum enim licet uti jure suo, & alterius damnum ex gravi causa permittere.

9. Debet compensatio fieri in bonis ejusdem Ordinis, hinc si quis te injustè diffamavit, non potes hanc injuriam compensare surripiendo pecuniam, quia hæc bona sunt incommutabilia, & fama per pecuniam non recuperatur.

Dices 1. Lumen naturæ dicitur, quòd nemo debeat esse Judex in propria causa. 2. Quòd reus non debeat condemnari inauditus. 3. Quòd non liceat injuriam propriam auctoritate vindicare.

R. N. Assumpta; nam quando debitum est certum, & Judex adiri non potest, nihil obstat, quòd minùs ipse jus meum defendam accipiendo rem ex certa justitia debitam, idque recta ratio tunc exigit; quia non adest aliud medium procurandi æqualitatem justitiæ, neque hoc est seipsum vindicare, sed rem æquivalenter suam recipere; Nec refert, quòd occultus compensator

in foro externo præsumatur fur; nam hoc inde fit, quia Judex ignorat adesse omnes conditiones requisitas. Ex dictis.

Infer seqq. 1. Nobilis è statu suo excidens, 8. ita ut famulos & equos cogatur dimittere, aut artem mechanicam exercere, honestus & opulentus civis mendicare, artifex instrumenta sua vendere; hi omnes sunt in gravi necessitate: si verò rationabiliter timeant sibi proximè defutura vitæ necessaria, sunt in gravi necessitate urgente seu quasi extrema; in qua per se & alios aliena sibi necessaria surripere possunt, etiam adhibitâ vi aliquâ, si rogati dare nolint, aut resistent: quia habent jus rigorosum, ne impediantur accipere rem sibi extremè necessariam.

2. Si necessitas levari possit per occultam compensationem è rebus debitoris, vel per mutuum; non est licitum auferre res alienas, nisi fortè abesset omnis spes reddendi mutuum, tunc enim non tenetur magis damnificare offerentem mutuum, quàm quemvis alium: neque in extrema necessitate. Licitum est plus accipere, quàm necessarium est pro levandâ necessitate.

3. Si quis justè v.g. ob delicta timeat carcerem perpetuum, vel etiam condemnari ad mortem famis; est quidem in extrema necessitate, sed sicut tunc nemo tenetur ei succurrere, sed ob bonum justitiæ publicæ carcerem, vel mortem ejus potest permitttere: sic nec ipse ad sibi succurrendum aliena rapere potest. Si verò injustam mortem, vel carcerem timeat, utique raptò alterius equo fugere potest; ita tamen, ut periculum elapsus equum restituat, & si possit, Domino equi de damnis obinde illatis satisfaciatur.

Y

4. Fa-

R. D. Jansen Theol. moral. T. I.

10. 4. Famuli quamvis judicent mercedem suam esse iniquam, tamen ex bonis heri sui eam compensare non possunt, nam Innoc. XI. damnavit hanc 37. prop. *Famuli & famula domestica possunt occultè suis heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant solario, quod recipiunt. Ratio est: quia tale debitum vix unquam est certum; sponte enim pro tali mercede famulari promiserunt; & herus eorum operâ fortè non indiguit, vel alios pro eadem mercede habere potuit, aut per instructionem, spem promotionis, vel recommendationis, laborem compensavit; ergo non est certum, quòd illis quid amplius ex justitia debeatur, nisi ab heri vi, metu, vel fraude fuissent coacti ad laborandum pro iniquo stipendio, vel cogentur ad laborem non conductum, tunc enim illis certa fieret injuria, quam cogens teneretur reparare.*

11. 5. Si Petrus tibi debeat 100. ex merce venditâ, & ipse illubenter solvat, licitè ab ipso accipis centum mutuò, animo compensandi, & quamvis juratò promittas eos certo die solvere, adhuc poteris uti compensatione; quia compensatio est verè solutio, cum per eam remittatur jus æquale debito: si tamen ex-vel implicitè jurasti non compensare, eò quòd Petrus forsan aliâ conditione mutuum dare noluerit; debes stare juramento, quod servandum est, quandoque licitè servari potest;

Lugo n. 117.

CASUS

C A S U S XXXIII.

De injustitia in bonis corporis, &
speciatim de occisione sui, &
Innocentis.

NORCA Virgo per nimias abstinencias vitam abbreviat. 1. 2. Etsi medici dicant pro conservatione vite vinum, maritum, scissionem rupturæ esse necessaria, nihilominus ea admittere renuit. 3. 4. Se Tyranno offert, imò rogat, ut pro fide orthodoxa occidatur. 5. Peste infectis cum periculo vita inseruit. 6. Tempore incendii ex alto se precipitat. 7. In mari constituta, ne in manus hostium incidat, petit à militibus, ut navim incendiant. 8. De crimine multum anxiam seipsam judici sistit, & timore tormentorum occulta vera & falsa fatetur. 9. Ad laqueum condemnata intendebat illum ipsum sibi injicere, & ut citius suffocaretur, jejunare. 10. 11. Variis modis intendit se mutilare. 12. Sed à custode carceris dimissa, & imprægnata, ne occidatur, vel infametur, abortum sub prætextu, quod fœtus sit mortuus vel nondum animatus, pharmaco aut immo-
dico saltu causat. 14. 15. 16. 17. Egrotat utitur opera medici & chirurgi ignoti vel imperiti, aut medicinis antiquatis. 18. Pro resolut.

QUÆR. I. An aliquando liceat seipsum occidere, vel mutilare.?

R. I. Nunquam licet seipsum occidere directè, I. id est, ex proposito & intentione, excepto, unico casu, quo Deus ipse hoc juberet: Omnes cum
D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. hoc enim esset contra

Y 2

jus

jus Dei, qui solus habet dominium vitæ & necesse
contra charitatem propriam, & contra bonum
generis humani, cujus individuum tollitur.

2. R. II. Neque licitum est seipsum occidere
directè, ponendo scilicet actionem, vel omisso
nem, ex quâ prævideatur secutura mors, nisi
gravis hoc agendi vel omittendi causa excuset, unde
deduces seqq.

1. Non peccare Carthusianos, cum in omni
morbo, & periculo vi voti carnes respuunt *Dian.*
p. 1. t. 2. R. 29. ubi excusat omnes, qui artem
virtutis renuunt bibere vinum, vel edere carnes
etsi peritus medicus dicat, sic vitam ad 10. annos
protrahi posse, quia prolongatio vitæ est incerta
& adest justa causa abstinendi, imò experientia
docet per moderata Jejunia, abstinencias, &
mortificationes vitam potiùs protrahi, quam
abbreviari; e contra qui per indiscretas macera-
tiones vitam notabiliter minuunt, peccant mor-
taliter, sicut qui vitam infantis minueret animo
citiùs eum ad cælum mittendi *Pet. Nav. Laym.*
hic n. 5. Dicast. d. 10. num. 545.

2. Peccant peccato homicidii, qui sine gra-
vi causâ se probabili vitæ periculo exponunt,
veluti funambulones imperiti, duellantes, aut
venenum sumentes ad experiendam virtutem
theriaci, non sumptâ præviè certâ experientia
inbruto.

3. 3. Gravissimè peccant, qui per gulam aut in-
temperantiam sibi vitam abbreviant; pericul-
podagræ, calculi, Thyfis, aut alterius gravi
morbi exponunt; quod maximè verum est
si intemperantia sit magna & frequens. *Vid.*
c. 12. n. 2. § 6. Graviter peccant, qui nolunt
se à mortis periculo liberare, quando possunt
faci-

facili medio, sumendo v. g. in lethali morbo medicinas ordinarias; dico medio facili, nam remedia nimis sumptuosa, vel difficilia v. g. scissionem calculi vel rupturæ, abscissionem brachii, tibiæ &c. nemo pro conservatione vitæ admittere tenetur, ut docet communis cum *Less. L. 2. c. 9. dub. 13. n. 96.* ideoque nec videntur à Superiore etiam religioso præcipi posse, nisi remedium foret certum, & talis homo bono communi necessarius. Similiter excusatur puella, quæ ad videndas; & tangendas partes verecundas tenuit admittere medicum; quia hæc sunt remedia extraordinaria, & sæpe magis difficilia, quàm ipse morbus; unde etiam excusantur, qui pro vita conservanda nolunt ducere uxorem, patriam vel domicilium cum magno incommodo mutare &c.

4. Gloriosum est amore Dei pro tuendâ fide vel aliâ virtute se mortis periculo exponere, imò se Tyranno sponte offerre, si id exigat honor Dei, & proximi ædificatio, ut constat exemplo plurium SS. Martyrum; secus si id nec Deo gloriosum, nec proximo sit utile, sibi que in fide & charitate non satis firmato periculosum, ideoque pessimè agunt, qui temerè idola confringendo, vel in hæreticos declamando, seipsum periculo, & Ecclesiam Majoribus persecutionibus exponunt, & adversariis iniquè sæviendi occidendique ansam præbent; multò minùs licebit petere, vel suadere Tyranno, ut te innocentem pro fide vel republica occidat, hoc enim esset suadere, & rogare, quod alter sine peccato facere non potest.

5. Licitum, & maximè meritorium est, se amore proximi vitæ periculo exponere, serviendo,

do, invisendo, Sacramenta administrando agris peste infectis aut alio morbo contagioso laborantibus, item se objiciendo telo, vel idcirco ad servandum principem, parentem, vel personam bono communi necessariam; id enim excusat amor boni communis, & reverentia in Superiores, & parentes: an verò vitam proximam liceat præponere vitæ propriæ, ei v. g. in æquili necessitate cedendo panem, vel in naufragio tabulam, vel se supponere in vicem amici injustè occidendi; disputatur in utramque partem probabiliter: *Verjus Tamb. L. 6. c. 1. §. 1. n. 5.* docent id non licere, quia in pari caluor do charitatis videtur exigere, ut plus diligatur vita propria, quàm aliena. Apotiori si amicus meus foret justè condemnandus, non possem me ejus loco supponere, esset enim judicem inducere ad condemnandum innocentem.

7. 6. Ad evitandam mortem crudelissimam à Tyranno minitatum, vel ab incensa domo, aut navi imminentem, licitè te dimittis in terram, vel in aquam cum manifesto vitæ periculo *Lug. d. 10. sect. 2. n. 50.* quia hoc non est directè se occidere, vel mortem intendere, sed velle minus periculum præ majori aut crudeliori, quia ipsa bruta instinctu naturæ se talibus modis salvantur, inquit *Less. d. 6.* idque certum esse judico, si sit aliqua spes vitæ per præcipitium conservandæ.

At quid si ex præcipitio nulla sit spes vitæ, an ad evitandam mortem v. g. crudelissimam ex incendio imminente adhuc liceat se præcipitare?

Pro affirmativâ, quam timidè sustinet *Lugo* est, quòd, quamvis præcipitatio sit certò conjuncta cum mortè, tamen illa non intenditur, sed intenditur sola evasio mortis crudelioris, ideo

ideoque est tantum occidere se indirectè, quod ex gravissimâ causa licet; *Prob. à pari*, quamvis transfossio iniqui transgressoris foret conjuncta cum certâ ejus morte, quia tamen non intenditur, sed sola vitæ propriæ conservatio, ideo ejusmodi transfossio tanquam homicidium indirectum, est licita, ergo & præcipitatio etsi certò conjuncta cum morte propriâ.

Pro *negativa* est **1.** Si Tyrannus minetur excidium urbi, nisi Petrum Innocentem è turri sine spe vitæ præcipites, non licet præcipitare, quia esset directè occidere Innocentem, ergò nec teipsum metu exustionis. **2.** Metu incendii vel ut dolores ignis non sentias, non potes te sclopeto trajicere, guttur præsecare, ergo nec è turri dejicere, si enim guttur præsecare sit directè se occidere, cur non se præcipitare, cum utrumque, ut supponitur sit ex se & infallibiliter cum morte conjunctum? Responderi tamen posset *ad 1.* *N. C.* Tyrannus intendit per præcipationem Petri mortem Innocentis, ergo si in hoc ejus petitioni satisfacias, directè occidis innocentem; aliud est si Tyrannus te incluserit ad mortem crudelissimam, vel eam expectes ab igne imminente, & tu sponte te è turri dimittas, tunc enim nec tu, nec Tyrannus præcipationem intendit ut medium ad mortem, sed ut medium mortem qualitercunque evadendi; *Ad 2.* Similiter *N. C.* qui sibi guttur præscindit, ut non sentiat dolores incendii, intendit immediate ipsam mortem, ut medium non sentiendi dolores ignis, præcipitans verò intendit evadere mortem diriolem, etsi cum periculo novæ mortis, quam vellet non sequi. Nec obstat: quòd præcipitatio sit infallibiliter conjunc-

ta cum morte, nam trajectio injusti aggressoris etiam est infallibiliter cum ejus morte conjuncta, nec propterea dicor directè intendere ejus mortem, sed solam vitæ propriæ conservationem.

8. 7. *Less. n. 32. Dicast. n. 583.* Non improbabiler excusant militem, qui ad evertendam turrim, vel munimentum hostile incendit pulverem tormentarium, etsi prævideat se in momento opprimendum; item eum, qui incendit naves, ne cum magno reipublicæ damno in manus hostiles deveniant, etsi ipse vel sit simul exurendus, vel saltem in mari submergendus. Rationem dant: quia est causa gravissima ejusmodi actionem ponendi, & mors sequitur indirectè præter intentionem; sicut si in turri hostili sciantur existere personæ innocentes certò interimendæ, adhuc eam licebit incendere, vel in eam tormenta dirigere, quia illarum mors non intenditur. Exemplum exhibet S. Script. in Samsonè, qui ut multos hostium sterneret, columnas ædificii subvertit, cum inevitabili propriæ vitæ jacturâ.
9. 8. Reus potest seipsum offerre judici ad pœnam capitalem, & ab eo petere, ut eum dignâ mortis pœnâ puniat, hoc enim non est seipsum occidere, sed petere, ut Judex exerceat actum justitiæ, quod potest, & plerumque facere tenetur. *Lugo n. 38.*
9. Non peccat reus, qui ad declinandam gravissimam torturam fatetur crimen occultum verum, secus si falsum, quia tunc mentitur & inducit judicem, ut ignoranter occidat Innocentem. *Molin. d. 37.*
10. 10. Justè condemnatus ad mortem famis non tenetur admittere panem occultè oblatum, neque

neque fugere, etsi possit, sed potest amore justitiæ publicæ mortem permittere; si verò esset injustè condemnandus, teneretur panem admittere, & fugere, si posset; quia non est causa mortem iniquam permittendi; excipe casum Martyrii, quando honor Dei & fidei, permissio- nem mortis exigit. *Tamb. §. 2. n. 6.*

11. Etsi reus justè condemnatus seipsum è mandato judicis probabiliter occidere possit sumendo v. g. venenum, incidendo sibi venam, è scala se dejiciendo, gladio vel sclopeto trahendo &c. Quia id non facit autoritate propria, sed judicis, cujus ministrum agit. *Tolet. Haun. de just. t. n. 613.* tamen certum est ad hoc non teneri, quia nimis durum, & crudele est hominem sui ipsius esse carnificem, imò nec potest, si Judex non mandet; idèdque strangulandus peccat, si jejuret, ut citiùs suffocetur, quia occideret se autoritate propriâ: potest tamen omnia facere, quæ implicitè mandantur, ut genu flectere ad excipiendum ictum, scalam, vel rogam ascendere &c.

Dices cum Lugo, nemo potest respectu sui exercere actum justitiæ, cum justitiæ essentialiter sit ad alterum; sed occidere reum est actus justitiæ scilicet vindicativæ, ergo. 2. Judex non potest seipsum judicare, ergo nec reus seipsum occidere. 3. Vel Judex justè mandat reo se occidere, vel injustè, si primum, reus erit obligatus obedire, & per consequens se occidere, quod est contra communem, si secundum, obedire non poterit.

R. Ad 1. dist. punire reum est actus justitiæ inter judicem & rempublicam, cui Judex ex quasi contractu obligatur conc. inter Reum & seipsum.

N. idedq; reus seipsum iustu iudicis occidens, non respectu sui, sed respectu reipublicæ exercere actum iustitiæ. *Ad 2. N. C.* Iudex debet esse Superior reo iudicato, nemo autem potest esse Superior respectu sui, ergo nec seipsum iudicare. *Ad 3.* Iudex ob causas id iuste imperare potest, sed reus ob nimiam difficultatem iuste excusatur.

12. *R. III.* Neq; licitum est se mutilare, aut membrum abscindere, nisi id necessarium foret ad conservationem totius. Quia homo non est suorum membrorum absolutè Dominus, sed solùm conservator & custos, recta autem ratio dicitur quod ritè custodiat, qui mavult amittere partem quàm totum; & pereunte toto pariter periret pars. Unde deduces.

1. Licitè abscinditur pes gangrænâ vel alio malo periculosè infectus. Item manu ad palum alligatus, potest illam sibi abscindere, si alias effere igne consumendus, à bestia devorandus, aut à Tyranno necandus. *Steph. Lugo n. 21. & 22.* Potest etiam quivis alius tibi hoc facere cum tuo consensu. *Hurt. Diana.* At nunquid idem licet, si iuste es ad mortem condemnandus? *R. Affirm.* Quia reus non tenetur expectare mortem, ergo pro conservando toto individuo licitè abscindit sibi membrum.

2. Non licet, se vel alium castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes, quia ad id sunt alia media *S. Thom. 22. q. 65. a. 1.* Ex eâdem ratione non licet sibi amputare nasum vel eruere oculum, ad impediendum stuprum, vel turpem amorem. Et ubi quidam Sancti id fecisse leguntur, egerunt ex speciali Dei instinctu.

3. Peccant parentes, qui filios etiam consentien-

tientes castrari faciunt, ut sint aptiores ad cantum, ut serviant Principi &c.

QUÆR. II. An aliquando liceat occidere Innocentem? 13.

R. I. Nunquam id licet directè, seu ex proposito sive autoritate publicâ sive privatâ; *inson-tem ac justum non interficies, Exod. 23. v. 7. Ratio est, quia solus Deus est vitæ humanæ Dominus, contra cujus jus peccat homo vel respublica aliquem innocenter sine mandato divino occidens. Unde non licet occidere obsides, etsi eorum Principales non servent fidem; neque licet Magistratui occidere Petrum innocentem, etsi Tyrannus toti urbi minetur excidium, nisi occidatur Petrus: potest tamen Magistratus jubere Petro, ut pro communi bono se Tyranno sistat, & si nolit, eundem tradere in pœnam inobedientiæ.*

Dices: licet abscindere membrum etiam sanum de corpore, ut servetur totum corpus; ergo & civem de communitate, ut servetur communitas, Confirmatur, pro bono communi potest civis exponi manifesto vitæ periculo, ergo & occidi. R. N. C. unum membrum corporale in esse & vivere dependet à physico influxu alterius, non autem civis à cive, sed quilibet sicut habet esse adæquatè distinctum ab altero, sic & jus distinctum in suam vitam. Ad Confirm. R. I. Retorq. civis pro necessitate communi obligatur se vitæ periculo exponere, si jubeatur; ergo obligatur etiam se ipsum occidere; quod nemo dicit. R. 2. N. C. mandare ut cives pro conservandâ communitate se vitæ periculo exponant, spectat ad potestatem gubernativam, quam constat esse penes rempublicam, occidere verò est actus domini in vitam

ram

tam hominis, quod soli Deo competit, vel homini de ejus permissione, quam certum est non dedisse, sed e contra prohibuisse.

An verò Judex occidere possit eum, qui publicè probatus est nocens, etsi privatâ scientiâ sciat esse Innocentem, in utramque partem disputatur; affirmant *D. Thom. q. 67. a. 2. Cajet. Bannes. Valent.* sed ex ratione probabilius negant. *Less. Nav. Sylv. q. 67. a. 2. Lugo d. 37.* quia hoc esset directè occidere Innocentem: nam sententia judicis directè præcipit mortem, quam & ipsa executio directè infert. *Nec dicat* quòd Judex directè tantùm intendat servare ordinem juris; nam *contra est*: quod non detur ordo juris contra jus naturale, sed jus naturale vetat occidi Innocentem, ergo. Deinde ad minas Tyranni projicere in aquas infantem, est directè occidere, etsi projiciens intendat conservationem urbis, & ordo juris, quem intendit Judex, est propter bonum communitatis; ergo si pro ipsâ communitate servandâ non liceat occidere Innocentem, minùs id licebit ad servandum juris ordinem.

14. §. II. Neque licitum est indirectè Innocentem occidere, hoc est agere aliquid, ex quo præter intentionem mors Innocentis sequatur, nisi ex causa gravissima. Unde resolves seqq.

1. Si iniquum aggressorem aliter fugere non possis, quam in via angusta conculcando Innocentem, vel occidendo infantem, quo aggressor pro scuto utitur, non peccas; quia non intendis mortem Innocentis, sed solam vitæ propriæ defensionem. *Less. Lug. Tamb. L. c.*

15. 2. Nullo casu nequidem ad evitandam mortem vel extremam infamiam licet in se vel in alio

directè procurare abortum, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, ut nunc certum est ex propo-
s. 34. damnatâ ab Innoc. XI. *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* Ratio est, vel enim fœtus est animatus, & jam homo in corpore & anima occiditur; vel non est animatus, & directè destruitur duplex semen & inchoata generatio; sicut ergo nullo casu directè licet destruere unum semen per pollutionem, sic multominus semen duplex per abortum; quando nam autem fœtus animetur, est incertum; plerique medici censent fœtum masculinum animari circa diem à conceptione 30. vel 40. fœmineum verò circa diem 60. vel 80. qui concurrit ad abortum fœtus animati, excommunicationem & irregularitatem incurrit. Si fœtus certò sit mortuus & matri noxius, indubiè expelli potest; quia non amplius habet rationem fœtus, sed humoris noxii.

Gravissimè peccat mulier, si incommodo labore, saltu vel intemperantiâ fœtui nocèat, etsi hoc non intendat, sed solùm prævideat, aut vero similiter timeat, ad servandam tamen vitam vel sanitatem, si aliud medium non suppetat, potest licitè adhibere medicinam de se non ordinatam ad expulsionem fœtus, v. g. balneum, sectionem venæ, etsi per accidens etiam sequatur occisio fœtus animati; quia si talis medicina non sumatur, periclitatur vita matris & simul infantis; si autem medicina aliter non conducere ad sanitatem, quàm expellendo fœtum; non liceret sumere; quia directè intenderetur expulsio fœtus tanquam medium necessarium ad sanitatem, quod est intrinsecè malum. *Lugo n. 132.* Similiter mariti

riti gravissimè peccant, si cum periculo abortûs, vel fructum extinguendi, aut ei notabiliter nocendi, conjuges crudeliter tractant, vexant, exasperant, percutiunt, item si uxoribus de obstetricibus expertis, cum haberi possunt, non provident aut infantes cum periculo suppressionis se cum cubare faciunt.

17. 4. Ad evitandam infamiam vel mortem ab extrinseco inferendam, nequidem licitum est uti medicinâ, quæ indirectè tendat ad expulsionem fœtûs; *Ratio est*, quia talis medicina non prodest ad impediendam infamiam vel mortem ab extrinseco inferendam, nisi quatenus occidit vel expellit fœtum; ergo qui illam sumit, directè intendit expulsionem fœtûs. Quia directè intendit medium evitandi mortem vel infamiam, quale medium hic non est sumptio medicinæ, utpote de se nihil conducentis ad mortem vel infamiam evitandam, uti supponitur, sed expulsio fœtûs; quam proinde, sumens medicinam directè intendit, qui enim vult finem, vult & media. Nec dicas: si in via angusta conculco innocentem ad fugiendum injustum aggressorem, quem aliter fugere non possum, conculcatio sumitur ut medium me salvandi, & tamen directè non intenditur juxta dicta sup. n. 14. Ergo nec in casu præsentis directè intenditur expulsio fœtûs, & N. Iamam partem antecedentis. Ut medium me salvandi assumitur fuga, quod autem hæc fiat conculcando Innocentem, per accidens est, & à me non intenditur, sicut à medico non intenditur debilitas, quæ conjungitur cum sectione, quam medicus assumit, ut medium recuperandi sanitatem. Contra hucusq; dicta.

Disci

Dices. 1. Saltem licebit directè expellere fœtum inanimatum, si ex eo mors matri imminet, quia talis fœtus est aggressor vitæ; sicut ergo possum occidere furiosum, qui vitam aggreditur, sic & fœtum expellere; si enim ex tali causa liceat interimere hominem jam generatum, cur non & fœtum expellere, qui est tantum inchoata generatio.

2. Pro conservatione totius licet abscindere partem vel membrum etiam sanum, ut si pede vel manu ligatus atrocem mortem ab imminente igne, hoste, vel ferâ aliter effugere non possis; atqui fœtus est pars uteri, ergo.

3. Pereunte matre certò peribit fœtus, ergo præstat expulso fœtu conservare matrem, quàm utrumque perire.

4. Argumentum nimium ideòque nihil probare; probat enim licere expulsionem fœtus etiam animati, item pollutionem & expulsionem veri seminis humani, si ex ejus nimietate timeatur mors, quia semen aggreditur vitam: dicendum igitur, sicut nullo casu licita est directè quaesita pollutio, eò quòd ob nimiam ejus delectationem & hominum in eam propensionem, homines parum de generanda prole curarent, hâc delectatione contenti, non sine speciei humanæ detrimento; sic à potiori intrinsecè mala est fœtus expulsio; si enim hæc aliquo casu liceret, majus esset periculum & confidentia fornicandi, à quo aliàs absterre solet timor prolis partûsque futuri.

In formâ *Ad 1. N. C.* directè expellere fœtum est intrinsecè malum ob rationem datam, non verò occidere aggressorem vitæ.

Ad 2. Pariter dicam licitum esse expellere semen, quia magis est pars hominis, quàm fœtus; ita-

ita-

itaque *N. C. disp.* est, quòd membrum corporis unicè & principaliter sit ad bonum totius, idèdque pro conservando toto licitè abscinditur, fœtus principaliter à natura non intenditur propter matrem, sed propter speciei humanæ propagationem.

Ad 3. Dico iterum probari licere directam effusionem seminis veri sed periculosi, quia mortuo individuo etiam semen peribit; sicut igitur non licet conservare individuum per effusionem veri seminis, sic nec matrem per expulsionem fœtus.

18. QUÆR. III. Quid hic notandum circa medicos, chirurgos, pharmacopœos, infirmarios &c. &c. Seqq.

1. Omnes hi peccant contra præceptum: *non occides*, si ex culpabili ignorantia, negligentia, avaritia &c. causa sint, quod infirmus citius moriatur, aut morbus ejus notabiliter ingravescat, vel diu prolongetur, aut infirmum horum periculo exponant. Ideòq; medici & chirurgi, quamdiu non habent sufficientem scientiam & experientiam, peccant gravissimè, si ex se, sine consilio & assistentiâ peritorum, medicinas præscribant, implentes bursam pecuniis & cœmeteria mortuis neque absolvi possunt, nisi scientiam debitam acquirant, vel officium dimittant. Idem tenet de iis, qui artem quidem callent, sed magis phantasiâ sui capitis, quàm regulas artis sequuntur; aut in casu arduo consilia peritorum, vel negligunt vel respuunt, magnis enim periculis suos clientes exponunt.

2. Atomatarii & pharmacopœæ præter futurum etiam se reos homicidii faciunt, si corruptas aut inutiles species vendendo, infirmo graviter

vicer noceant, vel mortem accelerando, vel non impediendo, vel reconvalescentiam retardando. Hujusmodi verò medicos, chirurgos, pharmacopæos, non solùm teneri ad omne damnum per suam imperitiam aut medicinas inutiles cautatum, sed & restituere debere pretium pro operâ & medicinâ acceptum, docent *Caramuel Henno* & alii; quod certum videtur respectu eorum, qui ignari, & bonâ fide eorum ope & medicinâ usi sunt, secus de iis, qui temerè & scienter iis utuntur, nam tales quòad restitutionem damni & pretii, videntur suo juri renunciâsse, quamvis juri ad vitam & sanitatem renuntiare non poterint.

3. Similiter peccant contra propriam vitam, qui ex parcimoniâ, avaritiâ, vel experiundi causâ, utuntur medicinis vel medicis ignotis & suspectis, dum alios habere possunt, quia sine causâ vitam & sanitatem gravi exponunt periculo, ut per se patet.

C A S U S XXXIV.

Qualiter liceat occidere malefactores & injustos aggressores.

ORbius Judex dubitat. 1. An liceat omnes malefactores occidere, an etiam Principem Tyrannicè imperantem. 2. An malefactor proscribi possit à quolibet liberè occidendus 3. An occidi possit deprehensus in adulterio. 4. An occidi possit aggressor. 5. Quid si sit amens vel moriturus in mortali? 6. An adulter vel banditus queat se defendere, an

Z male-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

malefactor vel etiam Innocens contra satellites. 7. Vel contra eum, qui decrevit occidere; 8. An aggressus teneatur fugere. 9. An liceat occidere irrogatorem honoris. 10. Vel pudicitia. 11. Aut bonorum temporalium. 12. Saltem si sint magni momenti. Pro resolut.

x. QUÆR, I. An liceat occidere malefactores?

ꝛ. Licet autoritate publicâ, non privatâ, dummodo crimen sit morte dignum & noxium reipublicæ, & servetur ordo juris. est communis cum *D. Thom.* 2. 2. q. 64. a. 2. § 3. partim contra *Waldenses*, qui id simpliciter negabant, partim contra *Scotum* in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. qui id tantum ad Casus in S. Scripturâ expressos extendit. *Prob.* quia Scriptura generaliter dicit: *malefici non patieris vivere*, *Exod.* 22. & *Apostolus ad Rom.* 13. De Principe ait; *non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in ira eius, qui malum agit. Ratio est;* quia illicitum esse non potest, quod ad conservandam socialem politicam & quietam hominum vitam est omnino necessarium; sed occidere malefactores reipublicæ noxios ita est necessarium, ergo: dixi autoritate publicâ; nam summè periculosum, & intolerabile foret reipublicæ, si quilibet privatus malefactores occidere posset; unde

Resolves seqq. 1. Tyrannus injustè invadens regnum vel principatum à quolibet cive occidi potest, quia quilibet habet jus vim iniquam reipublicæ illatam propulsandi, idque fit non tam autoritate privatâ, quàm publicâ ex communi reipublicæ consensu, *S. Th. Lib. 2. de regim. Principum c. 6.* regno autem jam quietè possessio Tyrannus vel etiam Princeps legitimus, sed Tyranni-

rannicè imperans, à quolibet occidi non potest, ut patet ex propositione Joannis Hufs damnatâ in Conc. Constant. *Seß. 15. quilibet Tyrannus licitè potest à quocunque subdito interfici; ideóque tunc ad Superiorem, vel si talem non habet, ad judicium publicum totius communitatis recurrendum erit; quæ illum regno privare poterit, si nolit ab injuriis desistere; accepit enim Princeps vel Rex potestatem suam ab ipsa republica, non in destructionem, sed ædificationem. Snar. d. 13. de bell. Seß. 8. & plurimi apud Dicast. 501.*

2. Malefactores reipublicæ noxii à Principe vel Magistratu licitè proscribuntur à quibusvis liberè occidendi, etiam proposito occisionis præmio; quia tunc quilibet constituitur Minister publicus justitiæ; requiruntur tamen 4. Conditiones 1. Ut scelus sit notorium, quod aliter puniri non potest; 2. Ut bannitus vel proscrip- tus non occidatur ex odio, vel privatâ vindictâ, sed ex zelo justitiæ publicæ; 3. Ut occisio non fiat extra territorium proscribentis, nisi Dominus territorialis expressè vel tacitè consentiat, qualiter semper consentire cum communi Juristarum docet *Dian. p. 5. l. 4. res. 24.* 4. Ut non fiat à Clerico, id enim prohibet Ecclesia *C. sententiam: ne Clerici;* neque à proximè conjuncto, patre, vel filio; id enim vetat reverentia & pietas, nisi gravissimum reipublicæ malum, quod rarum est, aliter averti non posset; tunc enim prævaleret bonum commune.

3. Licitè occidi non potest deprehensus in adulterio, etiam ab ipso judice, nisi servato juris ordine: patet ex propositione 19. ab Alex. 7. damnata: *Non peccat maritus propriâ autoritate occidens uxorem in adulterio deprehensam; Ra-*

ratio est Charitas Christiana & iustitia; quibus maxime repugnat hominem adeò imparatum & impotentem citra ullam necessitatem non servato iuris ordine occidi; leges civiles, quæ videntur id permittere, vel sunt iniquæ, & per jus Canonicum correctæ, vel tantùm remittunt pœnam homicidis debitam; aliud est de Bannitis, qui sunt hostes reipublicæ & aliter occidi non possunt; ut supponitur. An vagabundi ob furta occidi possint dixi *Cas. 32. n. 4.*

4. QUÆR. II. An occidere liceat injustum vitæ aggressorem, &c. Licere servato moderamine inculpatæ tutelæ, ita ut non plus noceatur, quam pro defensione vitæ est necessarium; ideòque si invasus fugiendo, clamando, vel vulnerando possit se liberare, non licebit occidere; est communis & certa, tum ex utroque jure *L. 3. ff. de just. & jur. C. jus naturale dist. 1. C. significasti 2. de homicid.* ubi dicitur vim vi repellere omnia jura omnesque leges permittunt: tum ex Consensu DD. cum *D. Th. sup. a. 7. Ratio* sumitur ex ipsa lege naturæ, & ordine charitatis, quibus quisque vitam propriam præferre potest alienæ, & sui defensor non tam occidit autoritate privatâ, quam publicâ ab utroque jure concessâ, neque propterea directè intenditur mors, sed sola actio defensiva, ex qua præter intentionem mors tanquam effectus sequitur; sicut Medicus intendit solam sectionem venæ tanquam medium ad sanitatem, non verò dolorem vel debilitatem, quam ex sectione prævidet futuram, *Bannes, Salon, in 1. 2. q. 64. a. 7. & ibid. Sylv.*

5. Ex dictis resolves seqq. 10. Et si in gratia constitutus ex charitate vel pietate possit permittere mortem propriam, si invasor sit parens, filius, fra-

frater, superior vel persona reipublicæ necessaria, aut peccator in dilgratia moriturus; ad hoc tamen non tenetur, quia ipse non est certus de statu gratiæ, & invalor seipsum jūvare potest, & tenetur, desistendo à violentia.

2. Licetè occiditur aggressor, etsi per aggressionem formaliter non peccet, ut furiosus, ebrius, amens, quâ infert injuriam materialem gravissimâ.

3. Adulter cum uxore deprehensus & propterea in vasus à marito potest se defendere defensione etiam occisivâ, si opus est, quia maritus nullum jus habet vitam ejus aggrediendi.

4. Bannitus non potest se defendere contra aggressores vitæ in provincia proscribentis, neque malefactor vim inferre satellitibus se capere volentibus, quia justè aggrediuntur, imò quamvis quis innocenter esset rapiendus ad mortem, satellites occidere non posset, nisi forent conscii ipsius innocentia, quia ita postulat commune bonum, ut Ministris officium publicum bonâ fide exercentibus, vis non inferatur. *Steph. t. 4. d. 5. n. 10.*

5. Si aggressor inflicto vulnere fugiat, non licet eum in fuga lædere vel occidere, quia hoc non esset se defendere ab injuria futura, sed vindicare præteritam.

6. Quodcumque me ipsum justè defendo, aggressorem mutilando vel occidendo, etiam alius eodem modo me posset defendere.

7. Si quis decrevit & paratus sit me occidere sed nondum aggrediatur, occidi non potest, quia necdum vim infert; si verò aliquid agat, vel proximè paret se ad occidendum, aut de facto struat insidias, non teneris expectare primum ictum, sed potes prævenire; & si opus est, occidere. *Lug. disp. 10. n. 157. Spor. t. 5.*

- in decal. c. 2. nu. 150. quod Metzger. t. 12. d. 27. a. 4 n. 2. dicit, esse certum, quia tunc adest præsens & actualis moraliter aggressio: v. g. latrones viam ante te & retro obsident, ut nullus sit effugii locus, si non prævenias occidendo; aut quis miscuit tibi lethale venenum, quod evitare non possis, quin artificio vel astu illud apponas vel propines ipsi auctori; aut si Dominus convocet servos ad te occidendum, & fugere non possis, quin occidas Dominum viam intercludere volentem, omnes hos licitè occidis, quia jam tum actu vitam aggrediuntur. Quod si aggressio non sit proxima & actu moraliter præsens, sed remota; v. g. nôsti pro certo, quòd inimicus tuus decreverit te datâ occasione vel per se vel per suos occidere, juxta Lug. & alios, adhuc poteris prævenire occidendo; sed in praxi non videtur id posse admitti, tum quia sic facilè turbabitur res publica aperiendo ostium ad patranda homicidia occulta; tum quia vix unquam deerit alius evadendi modus se v. g. præmuniendo, judicem implorando, animum inimici per amicos emolliendo, se ad tempus subducendo &c. Less. Hann. t. 2. c. 6. cont. 4. Metzger n. 48. Non teneris fugere invalor, si per hoc gravem incurras ignominiam, ut si sis vir nobilis, vel persona militaris: hanc sententiam *La Croix lib. 3. p. 1. n. 803.* dicit communissimam. *Ratio est:* quia adest moralis necessitas se defendendi: Clericis verò & Religiosis aut etiam laicis plebeis & vilibus raro probrosum est fugere, imò nemini, etiam Principi vel nobili, si aggressor sit amens, ebrius, pater, filius vel superior, ideòque tunc erit fugiendi obligatio.*
8. QUÆR. III. An liceat occidere injustum aggressorem honoris vel famæ? v. g. quis minatur

natur vel nititur tibi, tuæ religioni aut familiae inferre gravem calumniam, spargendo falsa crimina, falsò apud judicem accusando, testando &c. 2. Non licere; idque nunc certum videtur non tantùm respectu Religiosorum & Clericorum, de quibus expressè loquitur propos. 17. ab Alex. VII. damnata, quæ sic habet: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel suâ religione spargere volentem occidere &c.* Sed etiam respectu laicorum; nam propositiones sequentes loquuntur indefinitè; ut 18. ab eodem damnata: *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum vitare; & 30ma damnata ab Innoc. XI. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. Ratio damnationis est, quia occisio infamatoris non est aptum medium propulsandi infamiam; vel enim calumniam intentatam in judicio idoneè probare potes, & tunc autoritate judicis sine homicidio honorem tueri teneris; vel non potes probare; & occidendo majorem incurres infamiam, quia traheris ad judicium, & condemnaberis ut homicida; deinde occisio infamatoris ejus dicta non convincit falsitatis, ergo est ineptum medium recuperandæ vel conservandæ famæ: his non obstantibus, si quis velit tibi impingere alapam valde ignominiosam, nec absque gravi dedecore fugere possis, aut quis velit uxorem vel filiam opprimere, rem magni momenti auferre, adhuc probabile est, quòd possis opponere gladium; si in-*

valor vicissim opponat, jam non tantum honorem, pudicitiam, aut bona temporalia, sed vitam aggreditur, pro qua conservanda occidendi poterit, *Carden. 2. crisi d. 21. c. 2. art. 4. Solm. Navarr. Less. Lug. d. 10. nu. 185.*

QUÆR. IV. Quid circa invasorem pudicitia

q. seqq.

10. 1. Si scemina, fugâ, clamoribus, minis, precibus aut Lachrymis se ab invasore liberare possit, certum est, quod non liceat invasorem occidere, imò nec vulnerare; quia hoc foret excedere moderamen inculpatæ tutelæ.

2. Si scemina aliter se defendere non possit, quam occidendo violentum stupratorem, id licere, præsertim si adfit periculum consensus (ut plerumque adest) probabilissimè docent *Sylv. Nav. Valent. Dian. p. 2. t. 15. resol. 16. Syl. q. 9.* Ratio est, quòd pudicitia sit magnum bonum, quod puella honesta longè præfert bonis temporalibus, pro quorum conservatione licere occidere injustum invasorem dicitur *q. seq. & insuper* hic accedit plerumque periculum consensus seu peccati formalis. At poteritne etiam alius v. g. pater vel amicus puellæ talem stupratorem occidere? *q. Affirm.* Si aliter impedire nequeat stuprum & puella nolit consentire; quod addo, aliàs enim certò non poterit, quia puellæ consentienti non fieret injuria,

11. QUÆR. V. An liceat occidere invasorem bonorum temporalium?

q. 1. Non licet pro conservatione rei exigui momenti, vel pro jure inchoato, aut re nondum possessâ, patet ex prop. 31. damnata ab Innoc. XI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei, 32dâ: non solum* licet

licitum est defendere defensione occisivâ, qua actu possidemus, sed etiam ad qua jus inchoatum habemus, & qua nos possessuros speramus, &c. 33tiâ: Licitum est tam heredi quam legatario contra injustè impediens, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impediens. Ratio est; quia ejusmodi res aliis mediis recuperari possunt, vel ex charitate contemni debent, pro conservanda vita proximi in peccato plerumque morituri, & talis occidendi licentia rempublicam infinitis involveret turbationibus, sicque intelligendus videtur S. August. Lib. 1. de lib. arbit. C. 5. ubi dicit, eos non esse immunes à peccato, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt.

R. II. Res magni momenti, si aliter confer- 12.
vari vel recuperari nequeant, contra invalorem defendi possunt defensione occisivâ. Dico: si aliter recuperari nequeant, nam si sit spes probabilis rem per judicem recuperandi, erit saltem contra charitatem furem occidere. Cajet. Sot. Navar. Sylv. q. 8. Mezg. n. 7. ubi vocat communem D. D. Sporer n. 154. Id dicit esse certum, si bona non tantùm sint magni momenti, sed etiam pro conservanda vita & statu valde necessaria, idque extendunt etiam ad Clericos & Religiosos; quia hi æquè ac Laici jus habent ad tuenda sua vel Monasterii bona; neque à jure prohibentur; dicunt tamen eos, si ex hâc causa occidant, defectu lenitatis probabilis fieri irregulares, etsi oppositum etiam sit probabile. Probat 1. Quia temporalia per se sunt necessaria ad vitam conservandam, & charitas non exigit facere magnam jacturam bonorum

norum temporalium pro vita proximi, nisi ad
 summum in gravi vel extremâ necessitate; inva-
 sor autem non est in necessitate, sed malitiâ,
 quâ si non desistat, uti potest & debet, sibi impu-
 tet, quòd lædatur in vita. 2do: Id exigit commu-
 nis securitas & permittitur utroque jure *L. 4. ff.*
ad L. Aquil. C. interfecisti de homicid. c. olim. de
restit. spoli: Ideòque non privatâ, sed autoritate
 à legibus concessâ occiduntur. 3tio. Id probat
 consuetudo orbis, jure gentium introducta, quâ
 bella geruntur solorum temporalium causa cum
 cæde plurimorum hominum; non autem solus
 ille, qui actu res tuas invadit, sed & qui rebus
 ablatiis fugit, in fuga, antequam ad locum tu-
 tum pervenerit, occidi potest; si res aliter recu-
 perari nequeat, quia tamdiu censetur actualis in-
 vasor: summa autem, pro qua conservanda
 quis licitè occidi potest, debet esse multò major,
 quàm ea, quæ est materia gravis furti. *Carden.*
statuit pro divite 40. aureos, pro paupere, qui
suis multum indiget, sufficerent aurei 3. 4. vel
quinque:

DICES imò. Non licet occidere invasorem
 famæ & honoris, cum tamen bona famæ sint
 altioris ordinis, ergo nec invasorem temporalium
 bonorum. 2do. *Exed. 22.* reputatur homicida,
 qui furem diurnum occidit. 3tio. *C. suscepimus de*
homicidio, dicuntur peccâsse, qui pro confer-
 vandis rebus transitoriis fures occiderant. 4. Alias
 etiam possent occidi testes iniqui, & Judex, qui
 cum gravissimo damno meo iniquam ferat senten-
 tiam. 5. Ordo charitatis exigit bonum vitæ præ-
 poni temporalibus. & *Ad 1. N. C* honor non est
 tam necessarius ad conservandam vitam, quàm
 bona temporalia, & occisio calumniatoris non est
 me-

medium aptum recuperandi honoris, ut supra ostensum est; Ad 2. Lex illa judicialis agit de foro externo, in quo occidens furem diurnum præsumitur excessisse moderamen inculpatæ tutelæ, eò quòd fur diurnus clamando, vel aliter facile abigi, aut saltem dignosci, & apud Judicem accutari possit; secus, & ipse licitè occidi poterit. Ad 3. cit. C. loquitur de iis, qui excesserant moderamen. Ad 4. N. C. occidere testem vel judicem est contra bonum commune; eò quòd homines meritò deterrentur à ferenda sententia, & testimonio etiam justo, quod non tenet de occisione furis privati; Ad 5. Ordo charitatis tunc ad summum exigit vitam proximi præponi, si proximus sit in gravi vel extremâ necessitate, in quali non est iniquus inuasor; Resolutio Casûs satis constat ex præmissis, ea repetere superfluum duco.

CASUS XXXV.

De Bello & Duello.

PYRTHUS Princeps interrogat ex Consiliariis
1. Qualiter liceat bellum off- & defensivum?
2. Quid si causa bellandi sit dubia, vel solum probabilis? aut adsit odium, vana gloria? 3. An in belli socios vocari possint infideles. 4. An quis militare possit in bello injusto, vel sub Principe Acatolico. 5. Quid in dubio. 6. An fides & pacta servanda hostibus infidelibus vel hæreticis, num in his Papa dispensare possit. 7. An liceat duellum ad propulsandam notam infamie. 8. An ad determinandam litem. 9. Ad finiendum bellum. 10. An saltem liceat in loco condicto comparere ex gravi me-

tu vel cum scitur pugnam esse impediendam, 11. Quas poenas incurrant Principes duella permittentes, duellantes, cooperantes, spectantes, Clerici 12. Quid de privatione sepultura, 13. An haec poena incurrantur ipso facto, & ab iis absolvi possint regulares. 14. Quibus casibus ista poena non incurrantur. Pro resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit bellum.

1. & an aliquando sit licitum? R. I. Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam; differt a seditione, quæ est concitatio civium ad pugnam; à rixa, quæ est pugna paucorum; à duello, quæ est pugna singularis ex condicto. Est autem bellum duplex, defensivum unum, offensivum alterum; defensivum est quando vis iniqua repellitur, & hoc cuius privatâ authoritate licitum est, defensio enim est juris naturalis, cum hâc tamen disparitate, quod privatus non possit plus facere, quam præcipue opus est ad propulsandam vim iniquam; potestas autem publica potest ultra procedere, scilicet in vindictam illatæ injuriæ ad bellum offensivum, id est tale, quo vis infertur.

- R. II. Utrumque bellum tam offensivum quam defensivum aliquando licitum esse, est de fide contra Manichæos & Anabaptistas, quos secuti sunt Cornelius Agrippa & Erasmus interdicens bella Christianis maximè contra Christianos propter illud Matt. 26. *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*, sed textus loquitur de privata vindicta, non de bello; constatq; ex innumeris Sacræ Scripturæ locis, Dei jussu, consilio, & auxilio bella gesta fuisse. Et quamvis Alexander III. c. 1. *De Treuga & Pace* graviter prohibuerit bellum tempore Adventus & quadragesimæ

tamen prohibitio illa non est usu recepta, vel jam est consuetudine abolita; Imò etiam die festo licitum esse pugnare, si postulat necessitas vel notabilis utilitas, docet *Dicast.* & alii apud *La Croix* hic, maximè cum videatur esse opus non servile.

§. III. Ut bellum *offensivum* justum & absolutè licitum sit, (*defensivum* per se loquendo de jure naturæ semper licitum est) requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut geratur à Principe vel Magistratu Superiorem non agnoscente *S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1.* Ratio est, quod Superiorem non habens, ipsemet de injuriâ illatâ cognoscere, judicare & justo modo vindicare possit; qui autem Superiorem habet, potest & debet eum implorare.

2dò, Requiritur ut fiat ex justa causa, quales sunt; subditorum rebellio, justii tributii negatio, gravis ignominia principi aut ejus legatis illata, violatio fœderis, jus aut civitas usurpata, Principis injustè impetiti defensio; auxilium Regis hostibus concessum &c. non tamen sufficit ad bellum justum, gloriæ acquirendæ aut regni dilatandi cupiditas; *Nam inferre bella finitimis . . . & populos sibi non molestos sola regni cupiditate contere-re & subdere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum est inquit S. Aug. Lib. 4. de civ Dei. c. 6.* Igitur à Rege & Consiliariis ejus causa belli diligentissimè pro & contra discutienda est; ubi autem omnibus pensatis res manet dubia, melior erit conditio possidentis; ita ut aggrediens possessorem, tot committat peccata, quot homines bello cæduntur, aut damnificantur, cum obligatione omnia resarciendi.

3tiò. Ut non fiat ex odio, vanâ gloriâ, aut privatâ vindictâ, sed amore boni communis; defectu tamen hujus conditionis, dummodo aliunde

unde

unde adsit iusta bellandi causa, non erit obligatus restitutionis.

3. Sed quid si Princeps Catholicus in belli socium vocaret vel etiam iuvaret infideles? R. Id ex natura sua non esse malum, præsertim si bellum geratur contra alios infideles, ordinariè tamen non licet Principi Christiano uti auxilio infidelium contra Christianos ob gravissima scandala & maius inde oriri solita, eò quòd nec fœdera servant, nec personis, locis aut Reliquiis Sacris honorem deferant, omnia profanent, infantes ad seducendum abripiant, *Sylvius Rodrig. Regin. L. 21. n. 100.* Ex dictis.

4. Inferes seqq. 1. In bello evidenter injusto nemo militare potest, ut per se patet, quare gravissimè peccant, qui in bello religionis assistunt Principi A catholicico, vel infideli; ejusmodi enim bellum cum tendat in destructionem Ecclesiæ, & propagationem infidelitatis, justum esse non potest; si Princeps A catholicico contra Catholicum gerat bellum justum, per se loquendo non est illicitum auxilium ferre, arma aliaque necessaria administrare, aut etiam sub illo militare, dummodo absit periculum perversionis, scandali, & sacrilegii.

5. 2. Si dubium sit de justitia belli, subditi & milites antecedenter inscripti possunt & tenentur Principi bellum imperanti obedire, *Gloss. in C. quid culpatis 23. q. 1.* quia possessio est pro auctoritate Superioris, idque exigit bonum commune. Aliud est de extraneis, qui non videntur militiam amplecti posse, nisi sit gravis & fundata præsumptio pro ejus justitiâ; cum enim Principi non sint subjecti, sponte, & sine causâ exponerent se periculo gravissimæ injuriæ inferendæ; si pro

utrâque parte sint motiva gravia, posset quis pro parte, pro qua volet, militare *Dian. p. 4. T. 4. R. 32.* Vid. *Grotium L. 2, C. 1.* Modò habeat justam causam, militiam sub alterutra parte amplectendi; aliàs debet abstinere, cùm enim non constet moraliter certò de justitia belli, sine causa suam & aliorum vitam exponit periculo,

3. Fides & pacta hostibus etiam infidelibus vel hæreticis servanda sunt, etsi forsan bello injusto sint extorta; nam id exigit securitas Societatis humanæ, ne pacta temerè rupta graviores post se turbationes trahant, neque in his Papa dispensare potest, nisi cedant in grave præjudicium religionis, vel fidei Catholicæ.

QUÆR. II. Quid circa duellum?

1. Seqq. 1. Duellum græcè monomachia 7, est duorum vel etiam plurium certamen, uno indicente, altero acceptante; est peccatum gravissimum & duplex homicidium, dum vitam proximi injustè aggreditur, & suam periculo exponit.

2. Non est licitum ex odio vel vindictâ, ut per se clarum est, neque ad ostentationem virium, aut ad propulsandam notam ignaviæ, ut patet ex propos. 2, ab Alex. VIII. damnatâ: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est: quòd illa nota consistat in mera apprehensione imprudentium, & evitari possit, si provocatus dicat; ego tuâ conditione opus non habeo, hoc gladio paratus sum omni loco, & tempore contra quemvis aggressorem me defendere: aliud est de fugâ in actuali aggressione, quæ homini nobili vel militari ex natura rei omnium hominum judicio ignominiosa ducitur; duellum autem recusans non censetur fugere, sed legem Dei & naturæ observare.

3. Ne-

8. 3. Neque licet autoritate iudicis ad indagandam veritatem vel iustitiam Causæ, ad terminandam litem vel purgandam suspicionem criminis quia est medium fallax & superstitiosum ad illum finem; frequenter enim contingit innocentes succumbere, & hoc modo expectare à Deo ostensionem veritatis vel innocentiae, est formalis Detentatio; C. 1. & 2. de purgat. vulgari. S. Thom. 9. 95. a. 8. Laym. Metzg. Dicast. n. 213.
9. 4. Probabilius licet offerre & acceptare dolum, si id necessarium sit ad infringendas hostium vires vel animos, vel ad finem belli victoriamque facilius consequendum. Exemplum habetur *1. Reg. 17.* de David & Goliath: similiter, si Judex duos ad mortem condemnatos jubeat congregari, quia tunc alter alterius Minister iustitiae constituitur; etsi Judex peccet, si id faciat ad gloriam suam, & spectantium oblectationem.
10. 5. Si inimicus dicat: auferam rem tuam, vel occidam te, nisi cras in isto loco mecum congregiaris; non licet congregari, potes tamen te defendere etiam occidendò, si impetaris: & quamvis *Less. Laym. Sporer* non improbabiler excusent virum nobilem in aula, vel militarem in castris, qui provocatus se sistit meræ defensionis gratiâ, ne alioqui ob suspicionem ignaviae dignitate, officio vel favore Principis vel Ducis privetur, eò quòd per provocationem fit actualis aggressio non tantum honoris, sed & officii ac dignitatis, quæ inter temporalia magni momenti reputantur; Verius tamen est, id non licere, etsi permissum sit dicere: *Hoc ense me defendam ubicunque me aggressus fueris, exire autem ad locum condictum non est hominis Christiani.* Dicitur: exire ad locum condictum est actio indifferens

ergo licita erit saltem ex tam gravi causa. *Re N.*
Ass. exire ad locum condictum in his circumstan-
 tiis, non est actio indifferens; sed realis duelli ac-
 ceptatio.

6. Alii excusant eos, qui provocant vel accep-
 rant duellum, quando certi sunt non secutura in-
 pugnam, vel impediendam absque periculo gra-
 vis incommodi, sed id plerumque est scandalo-
 sum & in praxi periculosum.

QUÆR. III. Quid circa pœnas duellan-
 tium?

Re Seqq. 1. *Trid. Sess. 25. C. 29. de re-
 form.* excommunicat Imperatores, Reges, Prin-
 cipes &c. qui in suis territoriis concedunt locum
 ad exercendam monomachiam, & eosdem locis
 vel castris, in quibus duella permittuntur, privat,
 si ea ab Ecclesia obtinuerint, & si feuda fuerint,
 statim redeunt ad Dominum.

2^{do}. Eandem excommunicationem, perpe-
 tuamque infamiam incurrunt, & ut homicidæ pu-
 niri jubentur duellantes, & eorum patroni.

3. Hæc excommunicatio extenditur ad om-
 nes, consilium, operam, vel favorem præstan-
 tes, litteras provocatorias scribentes, scienter
 deferentes, arma ministrantes, etiam non secu-
 tã pugna, ut in terminis habet Bulla Clem. VIII.
 Item ad spectatores, qui palam, & studiosè
 accedunt, quia tales suã præsentia censentur
 eos animare; secus, si ex occulto vel obiter & in
 transitu aspiciant, aut si ex composito quidem ac-
 cesserint, sed pugna in effectu non sit secuta; tunc
 enim reverà non fuerunt spectatores.

4. Clerici duellantes præter excommunicatio-
 nem, incurrunt privationem omnium benefici-
 orum,

A a

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

orum, & inhabilitatem ad ea imposterum obtinenda; potest tamen in his, nisi homicidium, vel mutilatio secuta fuerit, Episcopus dispensare. *Pyrrh. L. 5. T. 14. n. 5.*

12. 5. Privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, qui in ipso conflictu decedunt; si duellans moriatur in alio loco, vel post intervallum temporis dato signo pœnitentiæ, non est privandus sepulturâ quia talis non censetur mortuus in ipso conflictu, & pœnalia utpote odiosa strictè sunt interpretanda; si duellum sit notorium, ipso facto incurritur privatio sepulturæ; si non sit notorium, requiritur sententia declaratoria; ideòque tunc res ad Episcopum vel ejus Vicarium deferenda est, etiam si dederit signa pœnitentiæ, ut habet Agenda Colonienſis edita anno 1720. pag. 156. si Ordinarius longè absit, debet mortuus sepeliri; et si Episcopus crimine ex post publicato possit corpus facere exhumari.

13. 6. Quamvis excommunicatio, suspensio, interdictum, & ex praxi Ecclesiæ etiam privatio sepulturæ incurrantur ipso facto, infamia tamen, privatio beneficiorum, & amissio bonorum, cum privent jure acquisito, requirunt sententiam declaratoriam.

7. Dictam excommunicationem Greg. XIII. & Clem. VIII. extendunt ad duella etiam privata, eamque reservârunt soli Papæ, *Laym.* tamen *loc. c. 5. n. 4.* dicit, has constitutiones in Germania & partibus septentrionalibus in tanto rigore non esse receptas; saltem probabilius est cum *Bonac. Comit. L. 6. mor. 9. 17. Regin. to. 2. L. 21. n. 83. Filiut. Pyrh. n. 3. Tamb. de Confess. L. 3. c. 7. n. 15. Sporer n. 112.* Episcopos & mendicantes ac cum iis participantes exceptis Italis extra urbem (hi enim

enim specialiter excipiuntur apud *Maran. in summa Bullarii V. Casus reservatus fol. 119.*) ab hac excommunicatione, si crimen occultum sit, absolvere posse, sicut possunt ab aliis Casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis, ut dicam *Cas. 116. q. 3.* in irregularitate autem secuto homicidio etiam occulto solus Papa dispensare potest.

QUÆR. IV. An semper prædictæ pœnæ incurrantur?

R. Quamvis omne duellum autoritate privatâ sit illicitum, pœna tamen, quia est strictæ interpretationis, sæpe non incurritur, ut

1. Si conflictus fiat armis ineptis ad graviter vulnerandum v. g. pugnis, levi baculo, quia non est certamen grave.

2. Si locus vel tempus non designetur, requiritur enim designatio loci & temporis copulativè, *Dian p. 3. t. 13. resol. 59.* aut si tantum designetur locus vel tempus in genere v. g. tecum pugnabo, quamprimum mihi extra urbem occurreris.

3. Si subitâ irâ gladios extrahant, aut durante eodem calore iracundiæ in alium locum pergant tutius pugnaturi, quia non est propriè duellum, sed continuatio prioris rixæ.

4. Consulens non incurrit, si consilium revocavit, quantum potuit, licet secutum sit duellum; *Diana & alii*: si verò consilium non revocavit, incurrit, duello etiam non secuto, quia consilium ratione sui, & non tantum ratione effectus prohibetur. Si dicas: eo ipso, quo duellum consulo, pecco, & pœnas incurro, quia consilium ratione sui prohibetur, & pœna incurritur effectu non secuto, ergo revocatio consilii non potest tollere pœnam, quam jam incurri. R. Eo ipso quo duellum consulo, pœnas incurro absolurè

N. sub conditione si ante effectum non revocem consilium quantum possum *Conc.* jura statuunt pœnam excommunicationis in consulentem non absolutè & simpliciter, sed sub conditione non revocati consilii.

5. Superior non tantùm mandans, sed & permittens, aut pro condigno non puniens incurrit excommunicationem, quia non adhibet media necessaria ad extirpandum nocentissimum reipublicæ crimen.

6. Ministrans arma amico, qui absque eo æquè citò & audacter erat pugnaturus aliis armis, tantùm ut cum minori periculo pugnet, per loquendo neque peccat, neque pœnam incurrit, quia non facit, ut amicus duellet; sed ut duellet cum minori periculo, in quo nihil est mali, dummodo non dentur arma contra pactum duellantium inæqualia; *La Croix L. 3. p. 1. n. 854.* intellige, si duellum impedire non possit, alias enim ad hoc obligabitur ex charitate.

C A S U S XXXVI.

De injuriis in bonis famæ & honoris.

Querulosa in honore & fama plures læsit irridendo, subsannando. 1. De personis cognitis & incognitis temerè suspicando, judicando. 2. 3. 4. falsa crimina ad tuendum honorem proprium impetendo, occulta Superioribus vel etiam aliis consiliis & solatii causâ aperiendo. 5. Crimina eorum aliis exprobrando. 6. Propria manifestando. 7. Bona malè interpretando. remissè laudando. 8. Mendaces, fures, superbos, spurios, meribibulos &c.

nuncupando. 9. De persona indeterminate.
10. Dicendo crimen ut auditum. 11. Coram
uno viro gravi, vel coram marito. 12. Ei-
dem, vel diversis detrahendo in materia
levi. 13. Detractionibus attendendo, non impe-
diendo, in vitam inquirendo. 14. Publica in- &
extra locum publicitatis etiam oblivione sepulta ver- &
bo, scriptive propalando. 15. Et secreta pro- &
missa etiam inique detecta sub pretextu boni com- &
munis & privati revelando. 19. Et seqq. Pro
resolut.

QUÆR. I. Quid sit fama, honor, & quæ
vitiis opposita?

R. 1. Fama est multorum existimatio bona, vel
mala, de vita vel moribus alteris: honor est
externa testificatio de alterius bonitate vel excel-
lencia. *S. Thom. 2. 2. q. 103.* si fiat verbis, dici-
tur laus, quæ si clarescat, dicitur gloria: ho-
nor prout contradistinctus à fama seu intrinseca
existimatione, est minus bonum, quàm fama,
quia minus est extrinsecè significari, quàm inter-
nè judicari bonus.

R. 2. Bonæ famæ opponitur suspicio, judi-
cium temerarium, detractio, honori opponitur
genericè contumelia, quæ est testificatio de vitiis
vel defectibus alterius, & plerumque fit in præ-
sentia dehonoreti, quamvis etiam fieri possit in
ejus absentia, ut si quis dehonoret ejus statuum;
si dehonoreti fiat objiciendo culpam, propriè
dicitur contumelia; si objiciatur defectus natu-
ralis v. g. cæcitas, deformitas, vocatur convitium;
si indigentia, in qua alteri succurristi, impro-
perium; si fiat verbis vel gesticulationibus, sub-
sannatio; si lusu verborum ad excitandam in alio
erubescenciam, irrisio vel illusio: hæc omnia ex

genere suo sunt mortalia, & reipsa talia, si de
alteri justam causam solvendi amicitiam, vel gra-
vis contristationis.

2. QOÆR. II. Quid circa suspicionem & judi-
cium temerarium?

R. Seqq. 1. Suspicio est quædam inclinatio
intellectus in unam partem, quæ si sit de defectu
proximi sine rationabili causa, dicitur temeraria,
ad quam reducitur assensus debilis vel dubius de
defectu alterius; iudicium temerarium in præsen-
ti materia est assensus de malitia alterius ex modo
tendendi firmus & quasi certus, ita ut iudicans
nolit ulterius in veritatem inquirere nec à iudicio
desistere, cum tamen non adsit causa vel motivum
sufficiens ita iudicandi; causa sufficiens vocatur,
quæ utcumque est conjuncta cum tali effectu; causa
insufficiens, quæ rarò vel nunquam: v. g. vides
de nocte juvenem furtivè ingredi domum mulie-
ris suspectæ, est causa sufficiens suspicandi aliquid
contra sextum præceptum; secus si clarâ die ta-
lem domum transeat vir honestus; majora ta-
men indicia requiruntur ad iudicandum, quàm
suspiciendum.

3. 2. Suspicio temeraria est ex genere suo tantum
veniale; est communis cum *D. Thom. q. 60. a. 3.*
ubi citat *S. August. Ratio est*; quia suspicio non
tollit simpliciter æstimationem, sed leviter tan-
tum diminuit, aut reddit dubiam; per accidens
tamen fieri potest mortale, ut si Superior non
tantum temerariè suspicetur, sed & ideo graviter
puniatur, ab officio removeatur, suffragium neget.
Multis etiam videtur à mortali vix excusari posse,
qui de personâ valde gravi valde enormia omnino
temerè & voluntariè suspicatur, v. g. de Episco-
po, quòd sit magus proditor patriæ; quia est ra-
tionabiliter graviter invitus. 3. Ju.

3. Judicium temerarium est ex genere suo 4. mortale contra justitiam, quia temerè tollit bonam de proximo existimationem, ad quam ille jus habet; usque dum probetur malus, est communis & certa. *Luc. 6. nolite judicare & non judicabimini. S. Th. L. c.* ut autem actu sit mortale, debent concurrere hæc tria; 1. Judicium deliberatum, firmum, & quasi indubitatum de determinata persona; si enim judicium non sit firmum, erit mera suspicio vel dubium, aut si non sit de persona determinata vel cognita, nulli determinatè fiet gravis injuria. 2. Materia gravis, qualis sufficit ad mortale detractionis. 3. Notabilis temeritas, qualis non est, si probabile judicetur certum; oritur autem temeritas vel ex malitia propria, vel ex odio & invidia; facilè enim de iis male judicamus, quibus malè afficimur, vel demum ex longæva experientia, ex quo capite senes magis sunt suspiciosi.

QUÆR. III. Quid sit detractio? 5.

Æ. Est injusta & occulta alienæ famæ denigratio. *S. Th. q. 73. a. 1.*

Dicitur 1. *Injusta*, nam quamvis nullo casu licitum sit alicui falsum crimen imponere, hoc enim foret perniciosum mendacium intrinsecè malum, uti uunc certum est ex prop. ab Innoc. XI. damnatis, 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam falso crimine elidere.* 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia V, dicenda Cas. 44. a. n. 15.* sæpe tamen licitum est verum, sed occultum proximi crimen revelare, si id necessarium sit ad avertendum gra-

ve damnum reipublicæ, vel proximi; unde non peccant qui servato fraternæ correctionis ordine occultum alterius crimen Superiiori manifestant; ut emendetur, occasio peccandi tollatur, indignus ad officium non promoveatur; aut amicum monent, ab eo ut sibi caveat, quem sciunt esse furem, seductorem, ejus vitæ insidiatorem; ut abstineat à matrimonio noxio, item ad habendum auxilium, solatium in gravi afflictione &c. cautè tamen hic procedendum, ne scilicet citra necessitatem, aut pluribus quàm oportet, vel sinistra intentione occultum crimen detegatur, si dicas: pro habendo auxilio vel solatio in gravi necessitate non licet auferre pecuniam, ergo nec famam per manifestationem criminis occulti, quia fama multo est pretiosior pecuniâ. *R. N. C.* proximus in pecuniam habet verum jus, in famam autem, postquam crimen admisit, non habet jus fundatum in vera virtute & innocentia, sed in falsa hominum existimatione, quam falsitatem ex justa causa manifestare licet.

6. Dicitur 2. *Occulta*, in quo specie distinguitur à contumelia; sicut furtum à rapina; detractio enim fit absenti, contumelia præsentis, cum scilicet verus & falsus defectus in faciem exprimitur; quod si fiat aliis præsentibus, includit detractionem, & duplicem specie malitiam specialiter in confessione explicandam.
7. Dicitur 3. *Aliena fama*; nam seipsum infamare occultum v. g. crimen propalando non est propriè detractio, cum non fiat invito famæ Domino, neque peccatum mortale, sed solùm veniale prodigalitatibus; homo enim est perfectus famæ Dominus non minùs quàm pecuniæ; sicut ergo prodigando pecuniam peccat tantùm venialiter, sic &

& prodigus famæ; dico per se, nam sicut manifestatio proprii criminis per accidens potest esse actus virtutis, si scilicet sit utilis vel necessaria ad emendandum proprium vel alienum peccatum, ad tollendas suspiciones, odia, dissensiones, vel injustas vexas aliorum; sic & per accidens fieri potest mortale, ut si manifestes tuum delictum cum jactantia, complacentia, cum infamia tuæ familiæ, vel communitatis religiosæ vel complicitis, cum gravi scandalo vel damno spirituali tuo- rum, eò quòd in officio tuo sine bona fama fructificare non possis; hinc enim valet: curam habe de bono nomine *Eccl. 4.*

Dicitur 4. *Fama demigratio*; nam per detractio- nem non semper tota fama tollitur, sed minuitur, obscuratur, denigratur, idque vel directè, 4. modis, falsum crimen imponendo, verum aggravando, occultum manifestando, bona malè interpretando; vel totidem modis indirectè, alterius bonitatem negando, extenuando, tacendo quando silentium æquivaleret assertioni defectûs alieni, frigidè laudando: omnes hos modos expriment vulgari versus: *imponens, au- gens, manifestans in mala vertens, qui negat aut minuit, reticet, laudatque remisè.*

QUÆR. IV. An & quale peccatum sit de- tractio? 9.

R. Est peccatum contra charitatem & justiti- am, & quidem gravius furto; quia privat ma- jori bono scilicet famâ; *S. Thom. a. 2. detracto- res Deo odibiles Rom. 1.* ut autem detractio sit culpa mortalis, requiruntur duo: 1. perfecta deliberatio, cujus defectu à mortali excusantur, qui ob ignorantiam, passionis vehementiam vel linguæ præcipitantiam ad malitiam gravem non

advertunt. 2. Materia gravis, quæ ex se vel circumstantiis proximum graviter infamet, sive illud sit peccatum mortale sive veniale, sive defectu merè naturalis; unde.

DEDUCES seqq. 1. Potest aliquid respectu unius esse graviter probrosum & peccatum mortale, non verò respectu alterius; sic de viro sancto & valde honorato dicere, quòd sit mendax de religioso, quòd sit amans puellarum, quòd furtum vel duellum admiserit, est mortale; non item, si hæc dicantur de milite vel juvene nobili quia hi potiùs de his gloriari, quàm erubescere solent; similiter dicere de puella, quòd sit superba, garrula de germano, quòd sit bibulus, ex parentibus hæreticis natus, plerumque tantum est veniale; dicere autem de aliquo honestæ reputationis, quòd sit spurius, aut de honesta matrona, quòd sit meribibula, in Italia & Hispania est valde probrosum ideòque mortale detractio, contumelia irrisio & similes injuriæ in propinquos specialem habent malitiam contra pietatem ut dixi *Cas. 7. n. 9.*

10. 2. Referre crimen non nominatâ personâ non est mortale, nisi ex circumstantiis dignosci possit, vel ejus infamia redundet in infamiam aliorum; ut si quis dicat aliquem religiosum ex illo monasterio esse adulterum, ex illa familia aliquam fuisse sagam &c. tunc enim erit mortale cum onere restitutionis tantò gravius, quòd plures personæ cognoscuntur esse in tali monasterio, vel familia.

11. 3. Referre crimen non ut certò commissum, sed ut ab aliis auditum est mortale, si sit periculum (ut plerumque est) ne quis audientium illud credat vel divulget ut verum, *Metz g. n. 12.* si audientes illud prævideantur credituri vel divul-

volgatum, non in vim tuæ narrationis, sed ex temeritate aut malitia, adhuc erit mortale contra charitatem, illis sine justa causa crimen proximi occultum & graviter probrosum referre; quia præbetur anſa, ut alii grave damnum in fama inferant.

4. Sine causa manifestare crimen grave viro ^{12.} unico ac taciturno, adhuc est mortale, quia valde grave est etiam apud unum prudentem de gravi crimine sine causa infamari. *Lug. d. 14. n. 51. Spor. n. 63.* etſi etiam oppositum, quod cum aliis docet. *Leſſ.* videatur probabile saltem tunc, quando non adest specialis causa, cur merito nollet quis apud hunc diffamari, ut fit in religioso, clerico, subdito, qui mallet crimen suum occultum sciri à multis aliis, quàm à suo Prælato, Domino, vel benefactore, à quo multum dependet; tunc enim ipse *Leſſ.* fatetur esse mortale. *Lugo* à mortali excusat conjuges de occultis aliorum criminibus confabulantes sine periculo ulterius divulgandi, quod admitto de crimine occulto aliunde utrique jam noto, secus, si maritus id uxori ignoranti revelet; Ratio est, quod non videatur ad esse causa revelandi, & taciturnitas scæminarum valde rara sit, alii excusant eos, qui solatii causâ complicem in confessione detegunt; vel de illatâ sibi ab hoc vel illo injuria querulantur; quod non probo saltem in mulierculis, quæ ex levi plerumque causâ, ex impatientiâ, non rarò ex occulto rancore, de marito, aut aliis querulantur, eorùmque occulta crimina detegunt, nisi forsan fiat pro habendo consilio, aut ex aliâ justâ causâ: qualiter crimina occulta judici vel Superiori denuntiari possint; dixi *Cas. 18. n. 6.*

3. Qui

13. 5. Qui multis & distinctis detrahit in materia levi, non peccat mortaliter; aliud est de furto minutis, quæ fiunt diversis; hæc enim coalescunt in unam summam notabilem, & cum furto furi sint multum utilia; idèdque magis attractio quàm læsiones famæ, hinc si per minuta furto posset citra mortale corradì materia valde notabilis, cujusvis bona essent in periculo, ideo quilibet meritò est graviter invitus, vel saltem tota hominum communitas ita exigente bono communi. Econtra si dicas aliquid leve, quod simul cum præcedentibus levibus detractionibus à te vel ab alio factis notabiliter famam minuit, peccat mortaliter; sicut si post levia vulnera infligas vulnus occisivum; quemadmodum enim mors consistit in indivisibili, & ideo moraliter tribuitur ultimæ læsioni, ad quam tota sequitur, sic & gravis infamia consistit in iudicio indivisibili de gravi alterius malitia, & quamvis quælibet levis detractione ad illud iudicium disponat, attamen quia illud totum indivisibiliter sequitur ad ultimam detractione unculam, huic moraliter imputatur, sicut mors ultimæ læsioni vel ebrietas ultimo haustu. V. Cas. 29. n. 13. de obligatione restituendi famam dicam infra.

6. Non tantum qui detrahit, sed & qui inter-rogando, applaudendo, animando est causa cœptæ vel continuatæ detractionis, peccat contra justitiam, lædendo eum, cui detrahitur, & contra charitatem alium ad detractionem inducendo. Qui nudè audit gravem detractionem; ad eam tamen positivè non concurrit, neq; internè eam approbat; sed solùm non impedit, cum facile posset v. g. sermonem aliò divertendo, abeundo, vel saltem signum displicentiæ dando &c.

per ſe loquendo mortaliter peccat contra charitatem tum reſpectu detrahentis, ejuſ grave peccatum, tum reſpectu infamati, ejuſ infamiam non impediendo: quod maximè tenet in ſuperiore. dixi: per ſe loquendo, nam audiens ſæpe excuſatur per accidens, ut ſi quis dubitet vel neſciat, an crimen, quod narratur, ſit publicum, vel occultum; quia in dubio debet loquens cenſeri bonus; item ſi ex correctione timerentur rixæ, convivia, aut major detractionis confirmatio; unde ex *Lugo* notat *Sporer n. 109.* æquales rarò, inferiores verò vix unquam peccare mortaliter, detractionem non impediendo; quod tamen univerſaliter non admitterem, niſi pro ſcrupuloſis; tum quòd hoc vitium ſit piò dolor hodie dum nimis familiare; tum quòd videatur obligare charitas ad avertendum tantum malum; ubi media non ſunt nimis difficilia, uti eſt inverſio ſermonis, vultus triſtis &c. ſaltem inter æquales, aut quorum unus non eſt alterius ſuperior, vel perſona gravis, de qua non facile præſumi poſſit, quòd dicat aliqua, quæ juſtè dici non poſſint. Sed quid, ſi quis inadvertenter, vel bonâ fide graviter proximo detrahat, an audiens adhuc obligabitur eum corrigere? R. Omnino obligari, nam dato, quòd detrahens non peccat; tamen grave damnum infert famæ proximi, quod charitas impediri jubet, dum facile poteſt.

QUÆR. V. An ſit detractione manifeſtare crimen proximi notorium ſeu publicum? 15.

Reſponſio conſtabit ex ſeqq. 1. notoreitas criminis alia vocatur juris, quando aliquis in iudicio de eo eſt condemnatus vel confeſſus; alia facti, quando crimen in hominum conſpectu ita fuit commiſſum, ut nullà tergiverſatione celari poſſit;

fit; alia famæ, quæ ex sufficientibus indicio-
 ta, hominum relatione divulgata est; quorum
 rem numero hominibus res cognita esse debet
 ut facta vel famâ censeatur esse publica, difficil-
 mum est definire. *Laym. Molin. Lug. n. 70.* per
 regula dicunt tunc crimen respectu cohabitantium
 & vicinorum esse publicum & revelabile, quando
 limites secreti & occulti ita egreditur, ut attentâ
 quantitate communitatis & conditione hominum
 crimen scientium illud certò credatur in motum
 vicinorum deventurum; unde regulariter,
 communitas constet ex 8. hominibus, sufficit
 quòd sciant 3. vel 4. si ex 30. sufficit sciri à sep-
 tem vel 8. si ex 100. satis est, si sciant 15. vel
 20. si in oppido sint domus 400. sufficit, quòd
 sciant 8. vel 10. diversarum domorum, si ci-
 vitas habeat 500. incolas, satis erit 30. v. 40. per
 civitatem dispersos cognovisse, ut de illo ulterius
 apud ignaros ejusdem urbis loqui liceat. Si cri-
 men diffamatum est in Curia vel in loco illustri, ex
 quo facillè in alia loca dimanabit, censeatur no-
 torium in toto regno, *Auth. cit.*

Similiter si crimen in uno regno publicis Ga-
 zettis, vel edito libro sit divulgatum, facillè eti-
 am divulgabitur in aliis Regnis & Provinciis, ita
 ut & ibi de eo loqui liceat, idque passim videmus
 fieri sine scrupulo etiam à viris timoratis; nisi
 forsitan crimen foret falsum, aut de falsitate sus-
 pectum; sic aliquando contingit viris innocen-
 tissimis ex invidiâ aut odio religionis gravissima
 crimina affingi; de quo si sit prudens præsump-
 tio, utique ea ulterius divulgare non licebit. Sed
 quid de eo, qui publicè diffamatus est de uno sce-
 lere, an etiam de alio vero, sed occulto diffamari
 poterit? *R.* Nequaquam; quia per hoc quod
 ami-

misit famam in uno genere, non amisit in alio; excipe nisi id foret necessarium pro bono publico; sic exculantur, qui de Hæresiar- chis detegunt occulta adulteriâ, homicidiâ, sodo- miam &c. eum in finem; ne per externam virtu- tis speciem aut hypocrisin (ut fieri assolet) simplices seducant, aut seductos in suâ perfidia confirmant.

2. Si crimen est publicum per sententiam ju- 16. dicit, illud ubique etiam in locis remotissimis verbo, scripto, vel typo revelare licet, ita ut nequidem contra charitatem peccetur; quia sicut ipse Judex suam sententiam posset ubique publi- care, sic & alii; ideo enim damnantur facinorosi, ut omnibus etiam remotissimis sint exemplo; e contra si crimen est publicum facto, vel famâ, vel per confessionem rei aut depositiones testium nondum lata sententiâ, probabilius solum reve- lari potest in loco, in quo est publicum vel facilè publicandum, *Platel. p. 3. a. n. 773.* quia ibi & non alibi amisit jus ad famam; unde non excusan- tur, qui crimen in unâ domo, & à potiori in uno Monasterio vel Ordine, aut in uno Senatu publicum referunt extraneis, quia tale crimen est tantum publicum respectu hujus loci, Monasterii, vel Senatûs. *Lug. Metzg. t. 12. d. 39. a. 3. n. 10.* Idem videtur dicendum, si publicitas sit dubia, tunc enim possessio est pro bonâ famâ.

3. Plures docent, peccari contra charitatem, 17. si crimen etiam in loco, ubi publicum est, sine causa manifestetur ignorantibus, probabilius ta- men contradicit *Lugon. 68.* quia ibi non habet jus ad famam, & expedit bono communi, ut quis dignoscatur talis, qualis publicè est; ne alii ex ejus actionibus decipiantur; sicque habet totius orbis consuetudo; sermo autem est de crimine vero,

vero,

vero, etsi ab initio per injuriam manifestata, nam quamvis injuria non tollat jus ad famam, tollit tamen publicitas ad injuriam secuta, crimen verò falsum etsi notorium ulterius divulgare non licet, quia foret mendacium in damnum proximi; nec publicitas tollit jus ad famam nisi conjuncta cum veritate.

4. Crimen factum vel famam publicum, sed oblivione sepultum, denuo manifestare est detractio; sicut enim fama per criminis publicationem amittitur, sic cessante criminis memoriâ recuperatur, & redit ad statum, quem habebat ante publicationem; aliud est de crimine per sententiam judicis publico, quia facultas publicandi semel à judice data & non revocata perseverat etiam cessante criminis memoriâ.

18. QUÆR. VI. Quid circa revelationem secreti?

19. Tenenda esse sequentia. 1. Revelatio secreti est crimen valde affine detractioni, & detractionem sæpe includit, quando scilicet propagatur defectus occultus secretò commissus; Secretum autem naturale, aliud vocatur promissum, quando nullo prævio pacto quis suâ sponte promittit tacere quod audivit; obligatque ex justitiâ, fidelitate, vel solâ urbanitate, prout quis intendit se obligare; aliud dicitur commissum per expressam vel tacitam conventionem de non revelando; obligat ex justitiâ pro qualitate materiarum, tacitâ autem conventionem seu ex officio ad secretum tenentur consilarii Principum, officiales belli, advocati, medici, chyrurgi, obstetrices, & probabilius omnes quibus consilii, auxilii, vel solatii causâ secreta committuntur; hoc ipso enim, quòd secreta suscipiunt, tacitè ad non revelandum se obligant.

2. Si ex occultatione ſecreti, reipublicæ, tibi, 20.
vel alteri immineat grave malum v. g. urbis pro-
ditio, mors Innocentis, gravis infamia, jactura
honorum; ſecretum etiam commiſſum revelari
poſteſt; quia nemo cenſetur ſe voluiſſe obligare
ad ſecretum cum tanto incommodo; ſecreta ta-
men reipublicæ vel exercitûs, quæ ſine ingenti
damno boni publici manifeſtari non poſſunt, eti-
am cum periculo vitæ & tormentorum ſervanda
ſunt; ſalus enim reipublicæ præponi debet vitæ
propriæ.

3. Non tantùm eſt contra juſtitiam ſecretum 21.
ſibi commiſſum prodere, ſed & alienum ſecre-
tum invito rationabiliter Domino acquirere, v. g.
aperiendo ejus litteras, corrupendo confilia-
rios &c. Nec obſtat, quòd forſan litteræ ſint ne-
gligenter cuſtoditæ vel fruſtatim abjectæ; per
hoc enim quòd quis litteras laceret vel malè cuſto-
diat, non reſignat juri ad ſecretum, ſicut non re-
ſignat juri ad pecunias in ciſta aperta relictas, ſed
ideo lacerat litteras, ne ſecretum earum innotef-
cat; pro avertendo tamen malo reipublicæ licet
hoſtium litteras intercipere earumque ſecreta ex-
piſcari, uti habet quotidiana praxis à nemine im-
probata.

4. Si notiſiam ſecreti per vim vel fraudem 22.
aut injuſtam litterarum apertionem conſecu-
tus eſ, non potes revelare, niſi ille, cujus ſecre-
tum noviſti, te vel alium injuſtè vexet, &
vexam aliter repellere non poſſis; ſicuti enim
tunc licitè acquirere poſſes alieni ſecreti no-
tiſiam, aperiendo v. g. ipſius litteras, ſic &
eâdem uti, ad te vel alium defen-
dendum.

B b

IN-

R. D. Janſen Theol. moral. Tom. I.